QUAESTIONES AESCHYLEAE

DE UBERTATE VERBORUM CUM PRAEPOSITIONIBUS COMPOSITORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XV M. MAII A. MDCCCXCIII HORA XII

PUBLICE DEFENDET

ERNESTUS LESSER

HALENSIS.

ADVERSARII:

GOTTHOLDUS BEYER, CAND. PHIL.

CAROLUS SEELMANN, STUD. PHIL. ET THEOL.

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS

MDCCCXCIII.

HENRICO KEIL

SACRUM.

Wilamowitzius in editione Herculis Euripideae ad versum 155. (T. II. p. 82) τοῖσδ᾽ ἐξαγωνίζεσθε adnotat hoc verbum nihil aliud esse quam simplex paululum auctum et a poeta eo consilio usitatum, ut dictionem exornaret orationemque efficeret magis sonantem. Quam audaciam dicendi maxime in verbis cum praepositione ἐκ compositis usurpatam magis magisque increvisse in fabulis poetarum et Sophoclem prorsus modum egressum esse. —

Hoc rectissime dictum esse nemo infitiabitur, qui quidem aliquid cognoverit sermonem tragicum. Atque viri docti iam antea, ut nihil dicam de scholiastarum adnotationibus brevissimis, hanc dicendi ubertatem perstringere non omiserunt, ut inprimis Cobetus (collectan. crit. Lugdun. Batav. 1878 p. 189). —

Nimirum hic est mos in omni lingua, ut significatio verborum usu diuturno trita et evanescens quasi renovetur, clarius et accuratius exprimatur additamentis quibusdam, quae per se non necessaria sunt et in verbis ipsis inclusa. Itaque apud ipsum Homerum hic pleonasmus in satis multis verbis cognoscitur. Poetae tragici vero, cum ad animi perturbationes et adumbrandas et excitandas nihil fere haberent nisi epici sermonis simplicitatem, poeseos lyricae lenitatem, chororum tranquillitatem quamvis gravissimam, orationem pleniore ore sonantem omni modo quaesiverunt, praesertim cum histriones personati et cothurno supposito super hominum mensuram egressi in theatrum immensum prodirent. —

Atque haec ipsa ubertas, quae conspicitur in verbis compositis non multum a simplicibus differentibus, apud Sophoclem tractata est, ut priores omittam, a Kriebitzschio [1]), sed de Aeschylo

[1]) Quaestiones de usu verborum cum praepositionibus compositorum apud Sophoclem, Diss. Hal. 1881.

adhuc desideratur eiusmodi tractatio. Sane quidem pòetae illius feracitas et copia in fingendis novis adiectivis et audacia in conectendis cum substantivis iamdiu perspecta est exemplisque collectis illustrata. Et vere: Cuius mentem in fabulis Aeschyleis effugerint pleonasmi illi ut *γυναικόβουλοι μητίδες* (Cho. 624), *κακόποτμοι τύχαι* (Agam. 1130) e. s.? [1])

Itaque quamquam „nulla fere diversitas maior est, quam quae inter nomina Aeschyli et verba intercedit: in illis varietas, in his simplicitas et paucitas" [2]), tamen quaerendum suscepi, num poeta praeclarissimus — *ὁ πρῶτος τῶν Ἑλλήνων πυργώσας ῥήματα σεμνὰ καὶ κοσμήσας τραγικὸν λῆρον* (Aristoph. ran. 1004) — etiam in verbis compositis copiam et amplificationem prae se tulerit.

Qua in re tractanda si circumspicimus, quibus argumentis nitamur ad ubertatem demonstrandam, primum inveniuntur composita quae inusitate admodum et contra usum orationis pedestris pro simplicibus usurpantur (cf. *ἐντέμνειν ἄκος* Agam 27, *τέρμα διαμείβεσθαι* Prom. 301, *θνητοὺς ἐν οἴκτῳ προτίθεσθαι* Prom. 255), deinde praepositionis vim evanuisse elucet aut ex negationibus particulisve ad verbum amplificandum additis (cf. Sept. 702: *τεθηγμένον τοί μ' οὐκ ἀπαμβλυνεῖς λόγῳ*, Prom. 843: *σαφῶς ἐκμάνθανε*), aut quod compositum et simplex sine ullo notionis discrimine iuxta ponuntur [3]) (cf. *ἀπορρίπτειν* — *ῥίπτειν* Cho. 912—913), aut ex similibus argumentis e sententiarum conexu petitis (cf. *εἰσορᾶν* I), tum exstant verba — et is numerus longe maximus est — in quibus praepositio merae ubertatis causa posita est, quod verba propter notionem aut intendi non possunt, ut verba interficiendi, delendi, aut quod notio praepositionis in verbis ipsis tacite quodammodo inclusa est, ut in verbis dicendi praepositio *ἐκ*.

Quam ubertatem etiam Aeschylum coluisse exemplis collectis probavisse me spero. Quodsi Sophoclem et Aeschylum inter se conferimus, etiamsi Sophoclem praestare copia verborum con-

---

[1]) Uberius de hac re disputavit P. Dettweiler: Ueber den freieren Gebrauch der Komposita bei Aeschylus, Giessen 1882, 1883.

[2]) C. A. B. Todt, de Aeschylo vocabulorum inventore, Halle, 1885, p. 47.

[3]) vide Brunck. ad Aristoph. nub. 987.

cedimus, tamen apud Aeschylum saepius inusitata quaedam inveniuntur, quae non semper ut corrupta sunt reicienda.

Ἀνά.

I. *ἀνά* in compositis notat motionem ab inferiore loco ad superiorem, potissimum in verbis querendi et ingemiscendi, quibus perspicue depingitur vocem ex intimo pectore emissam in altiorem locum ascendere:

ἀνακωκύω, ἀναμυχθίζομαι[1]) (Prom. 769[2])), *ἀναστενάζω, ἀναστένω, ἀνοιμώζω, ἀνολολύζω, ἰνοτοτύζω.*

Huc accedunt *ἀνατρέφω, ἀναφαίνομαι, ἀνευρίσκω.*

ἀνατέλλω: Sept. 522: *ταφῆς ἀντέλλουσα θρίξ.* Hic compositum idem valet atque simplex. Contra frg. 300, 7[3]): *Αἴγυπτος — Δήμητρος ἀντέλλει στάχυν* simplex praepositione addita verbum transitivum factum est.[4]) Similiter res se habet in verbo

ἐξαναβρύω ebullio, Eum. 926: *ἅτ' ἐγὼ κατεύχομαι — ἐπισσύτους βίου τύχας ὀνησίμους γαίας ἐξαμβρῦσαι*[5]) *φαιδρὸν ἁλίου σέλας.* Nam intransitivum *βρύω* evasit compositione transitivum[6]), praeterea genetivus *γαίας* pendet a praepositione *ἐξ* verbi compositi.[7])

II. *ἀνά* notat in compositis „retro, rursus, iterum". Notio corroboratur particula *πάλιν.*

ἀνακαλοῦμαι revoco, Agam. 1006: *ἀνδρὸς μέλαν αἷμα τίς ἂν πάλιν ἀγκαλέσαιτ' ἐπαείδων;*

ἀναστρέφω reverto, translate repeto, Pers. 336: *ἀτὰρ φράσον μοι τοῦτ' ἀναστρέψας πάλιν.*

---

[1]) cf. Todt l. l.: in eis quae sequuntur vocabulis *ἅπαξ εἰρημένα* et ea quibus Aeschylus primus usus videtur esse asterisco sunt notata.

[2]) citavi versus ex ed. Vitelli-Wecklein, 2 voll. Berl., 1885.

[3]) Nauck, tragicor. graecor. fragmenta, Lips. 1889.

[4]) cf. Kühner, Ausführl. Gram. d. griech. Spr. § 409, 8.

[5]) cod. M. *ἐξαμβρόσαι* vel propter metrum corruptum. Pauwius apte correxit.

[6]) Weckleinius commotus exemplis a Lobeckio ad Ai. 40. p. 93 allatis usu transitivo simplex et compositum *ἐξαναβρύω* non differre censet. Sed omnia exempla sumpta sunt ex scriptoribus infimae aetatis.

[7]) cf. Krüger, gr. Sprachlehre § 47, 23.

Huc quoque spectat ἐπαναδιπλάζω iterum interrogo, Prom. 843: τῶν δ' εἴ τί σοι ψελλόν τε καὶ δυσεύρετον, ἐπανδίπλαζε, ubi iteratio satis exprimitur et notione verbi et praepositione ἐπί.

III. praepositio magis magisque evanuit et corroborat tantum vim simplicis verbi:

ἀναπαύω, ἀνατλῶ, ἀνιστορῶ, ἀνοίγω, ἐπανηρόμην.

ἀναμένω exspecto, Eum. 243: πρόσειμι δῶμα καὶ βρέτας τὸ σόν, θεά, αὐτοῦ φυλάσσων ἀναμένω τέλος δίκης. Mengius[1]) adnotat ad hoc verbum: „ad ultimum ἀνά indicat rem ad culmen i. e. ad calcem et exitum aut pervenisse aut perventuram esse, corroborat igitur notionem simplicis. ἀναμένειν usque ad finem opperiri." Quae si recte se habent, ubertas quaedam propter additum vocabulum τέλος concedenda est, sed facio cum Kriebitzschio[2]), qui hanc significationem, quae huic quidem loco casu apta est, in alios locos non quadrare monet.

ἀναδαίω* incendo, Agam. 317: πέμπουσι δ' ἀνδαίοντες — φλογὸς μέγαν πώγωνα. Todtius[3]) putat inesse fortasse significationem 'denuo incendere', sed certe non recte, praesertim cum hac notione admittatur interpretatio ab hoc loco aliena. Exspectamus enim potius ἀντιδαίειν.

ἀνασπάω imbibo, Eum. 650: ἀνδρὸς δ' ἐπειδὰν αἷμ' ἀνασπάσῃ κόνις. Hoc verbum proprie saepius ponitur notione sursum trahendi, ut apud Homerum Il. 13, 574: ἐκ χροὸς ἔγχος ἀνεσπάσατ', vel in altum tollendi, ut Thuc. 4, 97, 3: ὕδωρ τε — ἀνασπάσαντας ὑδρεύεσθαι. Rarissime invenitur imbibendi notio, ut Aristot. hist. an. 1, 16: ὅταν πίνοντες ἀνασπάσωσι τοῦ ποτοῦ, et de partt. an. 2, 17, 11: τὴν τροφὴν ἀνασπᾶν. Apud Aeschylum autem dictum est de terra, quae sanguinem occisi hominis imbibit: igitur primaria praepositionis notio localis prorsus evanuit.[4])

---

[1]) de praepos. usu apud Aesch. diss. Gott. 1863, p. 55.

[2]) l. l. p. 7.

[3]) l. l. p. 49.

[4]) simplex idem notat saepissime, ut Eur. Cycl. 570: κἂν μὲν σπάσῃς γε δαιτὶ πρὸς πολλῇ πολύν (sc. οἶνον).

Ἀντί.

ἀντί cum verbo coniunctum significat „contra" aut „vicissim". Haec vicissitudinis notio gravius effertur additamentis:

ἀνθαλίσκομαι vicissim capior, Agam. 352: *οὔ τ' ἂν ἑλόντες αὖθις ἀνθαλόντες ἄν.*[1])

ἀντακούω vicissim audio, Eum. 198: *ἀντάκουσον ἐν μέρει.*

Eiusmodi notionem haec verba per se ipsa exprimunt: *ἀντ-αλλάσσομαι, ἀνταμείβομαι.*[2])

Hic mihi liceat similem ubertatem in adiectivis commemorare.

ἀντικτόνος vicissim caedens, Eum. 467: *ἔκτεινα τὴν τεκοῦσαν — ἀντικτόνοις ποιναῖσι φιλτάτου πατρός.*

*τὰ ἀντίποινα** poena, ultio, Eum. 268: *ἀντίποιν' ὡς τίνῃς ματροφόνου δύας.* Pers. 479: *ὧν ἀντίποινα παῖς ἐμὸς πράξειν δοκῶν.* Simplicius dicitur Pers. 810: *ὕβρεως ἄποινα κἀθέων φρονημάτων* et Soph. El. 210: *ποίνιμα πάθη.*

*ἀντίφονος** caedem compensans, Eum. 983: *μηδὲ πιοῦσα κόνις μέλαν αἷμα πολιτᾶν δι' ὀργὰν ποινὰς ἀντιφόνους ἄτας ἁρπαλίσαι πόλεως.* Weckleinius putat *ποινάς* esse glossema et substituit: *δι' ὀργὰν ⟨ἐχθρὰν⟩ ἀντιφόνους ἄτας,* sed rectissime Weilius defendit hanc structuram, cum dicit *ἄτας πόλεως* per appositionem esse addita.[3])

Ἀπό.

I. praepositio significat remotionem ex loco quodam in his: *ἀπαλέξω, ἀπείργω, ἀποστερῶ, ἀποσυλῶ.*

ἀποπτύω proprie despuo, frg. 354: *ἀποπτύσαι δεῖ καὶ καθήρασθαι στόμα:* Non alio sensu simplex ponitur, ut Hom. Il. 23, 697: *αἷμα παχὺ πτύοντα.* Frequentius notat compositum translate 'respuo', ut Eum. 303: *ἀποπτύεις λόγους,* Prom. 1103. Agam. 970, 1191, Cho. 196.

Etiam simplex rarius idem notat, fortasse ex analogia verbi compositi: Soph. Ant. 653: *πτύσας ὡσεί τε δυσμενῆ,* non aliter

---

[1]) Auratus pro corrupto *ἂν* [*αὖ*] *θάνοιεν ἄν.*

[2]) de loco dubio Prom 239, s. v. *ἐξαμείβεσθαι.*

[3]) Hermannus deteriorum codicum lectione *ποιναῖς* probata interpretatur: *δι' ὀργὰν τῆς ποινῆς ἁρπαλίσαι ἀντιφ. ἄτ. πόλ.*

1232 [1]) Anth. Pal. 6, 307, 5 (antea, v. 3., invenitur compositum sine ullo notionis discrimine) e. a.

ἀποκορσῶ capillos detondeo, frg. 248: ἀποκορσωσαμέναις. Hesych. p. 199 s. v. interpretatur ἀποκειραμέναις· κόρσας γὰρ τρίχας: simplex κείρω simili sententia Hom. Od. 24, 46 invenitur.

ἀπορρίπτω abicio Cho. 913: οὔτοι σ' ἀπέρριψ' εἰς δόμους δορυξένους: versu antecedenti Orestes obiecerat matri suae: τεκοῦσα γάρ μ' ἔρριψας ἐς τὸ δυστυχές.

ἀποσκήπτω demitto, Pers. 742: ἐς δὲ παῖδ' ἐμὸν Ζεὺς ἀπέσκηψεν τελευτὴν θεσφάτων.

Hanc codicis M. lectionem tenent Weckleinius et Weilius, Dindorfius et Hermannus mutant in ἐπέσκηψεν.

ἀποσκήπτειν sensu proprio de fulmine emisso ponitur, ut Herod. 7, 10, 6: ὁρᾷς — ὡς ἐς οἰκήματα τὰ μέγιστα — ἀποσκήπτει (sc. ὁ θεός) τὰ βέλεα. Tum transfertur ad mala divinitus ex improviso fulminis instar immissa, ut praeter nostrum locum Diod. 13, 102: τὴν ὀργὴν ἀπέσκηψαν εἰς ἄνδρας.[2])

Valckenarius[3]) exemplis allatis demonstravit ἀποσκήπτειν, ἐνσκήπτειν, κατασκήπτειν, ἐγκατασκήπτειν hac translata notione plerumque usurpari, ἐπισκήπτειν plerumque notare „mandare". — Sed ut hanc quaestionem finiamus, puto utrumque verbum ἀποσκήπτειν „ab- wegschleudern" et ἐπισκήπτειν „darauf- hinschleudern", non multum differre a simplici, quod simillima notione dictum invenitur, ut Agam. 378: ὅπως ἂν μήτε πρὸ καιροῦ μήθ' ὑπὲρ ἄστρων βέλος ἠλίθιον σκήψειεν (sc. Ζεύς), et Eum. 804: υμεῖς δὲ τῇ γῇ τῇδε μὴ βαρὺν κότον σκήψητε[4]), cf. Eur. Med. 1333: τὸν σὸν ἀλάστορ' εἰς ἔμ' ἔσκηψαν θεοί.

ἀποστέγω arceo, Sept. 220: δυσμενέων δ' ὄχλον πύργος

---

[1]) cf. Nauckium ad h. l., qui priorem locum mutare mavult, alterum artificiosius interpretatur vel totum reicit.

[2]) Eur. Hippol. 438: ὀργαὶ δ' ἐς σ' ἀπέσκηψαν θεᾶς dubium est: Wilamowitzius, novissimus editor (Eur. Hippolytos, Berl. 1891), contra aliorum ἐπέσκηψαν novis librorum manuscriptorum collationibus nixus (cf. in ed. p. 183) defendit ἀπέσκηψαν.

[3]) in ed. Hippol. ad v. 438.

[4]) sic scripsi cum Elmsleio ad Eur. Med. 1333 et Dindorfio (lex. Aesch. s. v.).

ἀποστέγει, et antea v. 202: πύργον στέγειν εὔχεσθε πολέμιον δόρυ.

ἀφάλλομαι desilio, Pers. 308: ἐκ νεὼς ἀφήλατο, ubi praepositio ἀπό supervacanea videtur esse, quoniam remotio praepositione ἐκ expressa est.

ἀφέλκω degluttio, Eum. 184: ἐμοῦσα θρόμβους οὓς ἀφείλκυσας φόνου: simplex idem valet, ut Eur. Cycl. 417: ἄμυστιν ἕλκειν. Aristoph. equ. 107.

II. praepositionis potestas usu frequenti aut prorsus interiit aut comminuta est et tantum exaggerat vim simplicis verbi. Huc spectant notissima vocabula:

ἀποδείκνυμι, ἀποδηλῶ, ἀποθαυμάζω, ἀποκτείνω, ἀποκρύπτω, ἀπολείπω, ἀποσφάλλομαι, ἀποτίω, ἀποφαίνομαι, ἀποφθείρω, ἀποφθίνω, ἀποψιλῶ, ἀφικνοῦμαι.

Huc quoque referenda sunt verba dicendi, clamandi, querendi.

ἀποδύρομαι* (Prom. 664), ἀποκλάζω* (Agam. 165), ἀποκλαίω. — ἀπολολύζω* (Sept. 810) contra Papium et Passowium apud Aeschylum non exstare puto.[1])

Paulo uberius tractabo:

ἀπάγχω strangulo, Suppl. 474: ἐκ τῶνδ' ὅπως τάχιστ' ἀπάγξασθαι θεῶν. Simplex non differt ab hac notione, ut Hom. Il. 3, 371: ἄγχε δέ μιν — ἱμὰς — ὑπὸ δειρήν. Aristoph. vesp. 1039.

ἀπαμβλύνω obtundo, Prom. 892: ἀλλ' ἀπαμβλυνθήσεται γνώμην. Sept. 702: τεθηγμένον τοί μ' οὐκ ἀπαμβλυνεῖς λόγῳ. Priore loco notionem simplicis compositione exaggeratam esse iure dici potest, altero vero loco prorsus pro simplici positum esse apparet addita negatione: nam non hoc certe voluit Eteocles, consilium suum aliquo modo, sed non prorsus obtundi.

---

[1]) Suppl. 810: πότερον χαίρω κἀπολολύξω πόλεως 'ἀσινεῖ σωτῆρι: Blomfieldius ad h. l. non recte adnotat, κἀπολολύξω ex καὶ ἐπολ. ortum esse debere, quod ἀπολ. significaret „exclamare desinam". Quod quam falso dictum sit, facile ex verbis simillimis ἀποδύρομαι, ἀποκλαίω cognosci licet, quae idem notant atque simplicia et praepositione ἀπό paulum corroborata sunt. Sane quidem hoc hoco poetam ἐπολολύξω usitavisse credo propter dativum ἀσινεῖ σωτῆρι, cf. s. ἐπί.

Simplex autem simillime invenitur Sept. 829: *θέσφατ᾽ οὐκ ἀμβλύνεται.*

ἀπαρκῶ sufficio, Pers. 477: *κοὐκ ἀπήρκεσαν οὓς πρόσθε Μαραθὼν βαρβάρων ἀπώλεσεν.* Hoc loco haud scio an poeta consilio adhibuerit compositum: „ne apud Marathonem caesi quidem prorsus satisfecerunt immortalibus". Contra altero loco Agam. 390 mea quidem sententia non patitur urgeri praepositionem:

ἔστω δ᾽ ἀπήμαντον ὥστ᾽ ἀπαρκεῖν εὖ πραπίδων λαχόντι.[1])

„So viel sei es, dass es für den Verständigen ohne Schädigung ⟨gerade⟩ ausreicht." —

Aliter, sed mea sententia minus accommodate ad persuadendum Keckius structura verborum et lectione mutata scribit:

v. 388: *φλεόντων δωμάτων ὑπέρφευ, ὑπὲρ τὸ βέλτιστον, ἐστοῦν ἀπήμαντον, ὥστε καταρκεῖν*[2]) *εὖ πραπίδων λαχόντα,*

quae ita interpretatur:

— „weil das Haus in Ueberfülle strotzt, weit über das beste Mass hinaus, ein in der Weise leidfreies Los, dass ein Verständiger damit völlig ausreicht."

*ἀπατιμάζω** dehonoro, Eum. 95: *ἐγὼ δ᾽ ὑφ᾽ ὑμῶν ὧδ᾽ ἀπητιμασμένη.*

*ἀπογυμνάζω** exerceo, Sep. 428: *κἀπογυμνάζων στόμα.*

ἀποθραύω confringo, Pers. 413: *κἀποθραύει πάντα Φοινίσσης νεὼς κόρυμβ᾽* e. q. s., cf. locum similem v. 419: *ἔθραυον πάντα κωπήρη στόλον.*

*ἀπορφανίζω** orbum reddo, Cho. 248: *τοὺς δ᾽ ἀπωρφανισμένους νῆστις πιέζει λιμός.*

Διά.

I. notio primaria permeandi exstat in verbis ipsis *διαπερῶ, διεκπερῶ.*[3])

---

[1]) sic scripserunt Engerus, Weckleinius, Weilius (in recentiss. edit. Teubn. 1885). De magno numero emendationum loci difficillimi cf. Vitelli-Weckl. vol. II. ad h. l.

[2]) cod. Farn. *ὥστε καπαρκεῖν*: ceterum *καταρκεῖν* et *ἀπαρκεῖν* inter se non differunt.

[3]) Abreschius ad Pers. 488: *διεκπερῶμεν* adnotat hoc verbum valere „magna cum difficultate pervenimus", quod v. 519: *περάσαντες*

διαμείβομαι peragro, Prom. 301: *ἥκω δολιχῆς τέρμα κελεύθου διαμειψάμενος πρός σε:* Dindorfius rectissime adnotat dicendum fuisse *κέλευθον διαμειψάμενος* (cf. Sept. 521, Suppl. 552, frg. 150), ratione autem habita verbi *ἥκω* poetam scripsisse *τέρμα κελεύθου.* Poterat etiam simplex verbum poni, quod notione ingrediendi saepius usurpatur: Cho. 963: *τάχα δὲ παντελὴς χρόνος ἀμείψεται πρόθυρα δωμάτων,* et iam Hom. Od. 10, 328: *ὅς κε πίῃ καὶ πρῶτον ἀμείψεται ἕρκος ὀδόντων* (sc. *φάρμακα*).

Vis praepositionis facile apparet in verbo

διατέμνω permeo, Suppl. 554: *διχῇ δ' ἀντίπορον γαῖαν ἐν αἴσᾳ διατέμνουσα πόρον κυματίαν ὁρίζει.* Passowius et Papius s. v. coniungunt *διατέμνειν* cum *διχῇ*: tum ubertas dictionis concedenda est. Sed rectius editores *διατέμνειν* sensu metaphorico dici adnotant, ut sit „transnatare", cum praepositio suo iure posita sit: „disterminat (*διχῇ ὁρίζει*[1]), terras oppositas secundum fatum freto maritimo transnato" (Weilius).

διοιχνῶ permeo, Eum. 316: *ἀσινὴς δ' αἰῶνα διοιχνεῖ,* ubi vis praepositionis oritur addito accusativo temporali *αἰῶνα.*

διόρνυμαι permigro, Suppl. 561: *καὶ δι' ὅρων Κιλίκων Παμφυλίων τε διορνυμένα.*

II. *διά* actionem per omnes partes perficiendam significat, ita ut simplicium vis augeatur:

διαπάλλω, διαπρέπω, διαφθείρω, διόλλυμι.

διαθρύπτομαι superbio, Prom. 918: *τῶν πλούτῳ διαθρυπτομένων:* similiter simplex invenitur Anth. 7, 218, 2d: *χρυσῷ — θρυπτομένην — ἔχω,* et apud Eupolin, Bekk. anecd. p. 43: *ὡραϊζομένη καὶ θρυπτομένη.*

*διαμαθύνω**[2]) perdo, Agam. 815: *πόλιν διημάθυνεν* cf. Il. 9, 593: *πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει.* — frg. 244: *κύνες διημάθυνον δεσπότην.*

μόγις πολλῷ πόνῳ, quem molestiae, studii et laboris significatum compositis adderet saepe praepositio *ἐκ.* — Sed in hoc verbo eundi *ἐκ* meram localem significationem habere puto et tantum coniunctis similibus praepositionibus, quae per se in verbo *περᾶν* supervacaneae videntur esse, hanc molestiae notionem evasisse concedo.

[1]) cf. Oberdickium, ad h. l. Passowius *ὁρίζειν* vertit „durchsegeln".

[2]) proprie „in pulverem, cinerem redigo" (*ἄμαθος*).

διαπράσσω perficio, Eum. 954: *φανερῶς τελέως διαπράσσουσι.* Propter formam perfecti *διά* supervacaneum videtur esse Cho. 735: *ἐπ' ἔργοις διαπεπραγμένοις καλῶς.*

*διαρταμῶ** discindo, Prom. 1055: *διαρταμήσει σώματος μέγα ῥάκος:* Hoc loco quam audacter compositum „in Stücke auseinander reissen" dictum sit, manifestum est, et rectissime Weckleinius interpretatur: „zerfleischen, so dass grosse Fetzen herunterhängen". Aptius videri poterat compositum *ἐξαρταμεῖν* vel *ἀπαρταμεῖν.*

Corruptum est *διατιμῶ.*

Sept. 1038: *ἤδη τὰ τοῦδ' οὐ διατετίμηται θεοῖς.*[1]) Agitur enim de sepeliendo Polynice: Antigone a praecone propter id consilium reprehenditur v. 1037: *ἀλλ' ὃν πόλις στυγεῖ, σὺ τιμήσεις τάφῳ;* ad haec Antigone v. s. l. respondet, tum praeco pergit (v. 1039): *οὔ, πρίν γε χώραν τήνδε κινδύνῳ βαλεῖν.* Manifestum videtur esse praeconem Antigonae aliquid concedere. Sed tum versus 1038 omnino non quadrat ad hanc concessionem. Itaque iure corruptus habetur. Ex magno numero coniecturarum[2]) autem aptissima videtur esse Weilii emendatio: *ἤδη τὰ τοῦδ' οὐ δίχα τετίμηται θεοῖς.*[3])

διορίζω accurate distinguo, Prom. 456: *θεοῖσι τοῖς νέοις τούτοις γέρα τις ἄλλος ἢ ἐγὼ παντελῶς διώρισεν;* et 504: *γαμψωνύχων τε πτῆσιν οἰωνῶν σκεθρῶς διώρισ'.*

Εἰς.

εἰσαναγκάζω cogo, Prom. 306: *τό τε γάρ με, δοκῶ, ξυγγενὲς οὕτως ἐσαναγκάζει:* Praepositio ad verbum ad sententiam plenam reddendam addita videtur esse, quamquam id

---

[1]) de loco difficillimo cf. praeter editores Dindorfium lex. Aesch. s. v. et Heimsoethium: „Die indirekte Überlieferung des äschyleischen Textes", Bonn 1862, p. 132—133.

[2]) Hermannus proponit: *τὰ τοῦδ' οὐ δυστετίμηται θεοῖς*: sed id verbum abhorret a verbis graecis, cf. Nauckium, Eurip. Studien, Petersb. 1859, p. 179—180. Casaubonus non inepte interrogationem fecit: *ἦ δή· τὰ τοῦδ' οὐ διατετίμηται θεοῖς;* sed minime quadrat responsionis *οὔ.*

[3]) Weilius: „iam morte utrumque affecerunt (sc. dii) neque alio loco Polynicem quam Eteoclem dii habuerunt. Sic Antigone ex eventu deorum voluntatem arguit: diverso argumenti genere utitur praeco: Non alio Polynicem loco habuerunt, dum patriam non oppugnabat."

vel vocabulo *οὕτως* efficitur. Verbum rarissimum praeterea semel apud Plat. Tim. 49 A invenitur: *νῦν δὲ ὁ λόγος ἔοικεν εἰσαναγκάζειν — ἐπιχειρεῖν*, ubi certe compositum ubertatis causa pro simplici usurpatum est.

Venio nunc ad *εἰσορᾶν*, quod a Sophocle saepissime pro simplici usitatur.[1])

Iam apud Homerum invenimus eiusmodi ubertatem: Od. 1, 118: *τὰ φρονέων μνηστῆρσι μεθήμενος εἴσιδ' Ἀθήνην*: repetitur tantum antea scriptum: *τὴν δὲ πολὺ πρῶτος ἴδε Τηλέμαχος θεοειδής*. Od. 11, 582: *καὶ μὴν Τάνταλον εἰσεῖδον*, antea Ulixes in enumeratione hominum sceleratorum dixerat: (v. 576) *καὶ Τιτυὸν εἶδον* (cf. v. 568).

Od. 9, 146: *ἔνθ' οὔτις τὴν νῆσον ἐσέδρακεν ὀφθαλμοῖσιν οὔτ' οὖν κύματα μακρὰ κυλινδόμενα ποτὶ χέρσον εἰσίδομεν.*[2])

Fortasse etiam Il. 5, 212: *εἰ δέ κε νοστήσω καὶ ἐσόψομαι ὀφθαλμοῖσιν πατρίδ' ἐμήν.*

Iam transeo ad Aeschylum:

I. verbum compositum pro simplici positum esse apparet his locis:

Prom. 973: Mercurius in scenam prodit et Prometheus subito interrumpit sermonem: *ἀλλ' εἰσορῶ γὰρ τόνδε τὸν Διὸς τρόχιν.*

Similiter Clytaemnestra dicit de subito conspecta salute:

Agam. v. 890: *καὶ γῆν φανεῖσαν ναυτίλοις παρ' ἐλπίδα*
κάλλιστον ἦμαρ εἰσιδεῖν ἐκ χείματος, ὁδοιπόρῳ διψῶντι πηγαῖον ῥέος

(sc. *λέγοιμ' ἂν ἄνδρα*).

Prom. 590: *τὸν μυριωπὸν εἰσορῶσα βούταν*: Io, cum primum conspexit Argum, furore capitur.

Suppl. 577: *βροτοὶ — δείματι θυμὸν πάλλοντ' ὄψιν ἀήθη | βοτὸν ἐσορῶντες δυσχερὲς μιξόμβροτον*: Si codicis

---

[1]) cf. Kriebitzschium, l. l. p. 13—17, qui bene diversas distinguit significationes.

[2]) Ameisius in ed. *εἰσίδομεν* idem esse atque videre fatetur, sed *ἐσέδρακεν* vertit „genau wahrnehmen". Sed refutatur artificiosa illa quidem distinctio vel v. 144: *ἀὴρ γὰρ περὶ νηυσὶ βαθεῖ' ἦν.*

scripturam cum Dindorfio, Kirchhoffio, Weckleinio[1]) retinemus, scholiastae interpretationem *ὄψιν ἀήθη ὁρῶντες* secutus *ἐσορῶντες* cum *ὄψιν* coniungo et *βοτὸν δ. μ.* per appositionem esse posita arbitror:

„homines terrore concutiebantur, speciem inusitatam conspicientes, feram horrendam, mixtam cum humana figura.“

Prom. 443: *μόνον δὴ πρόσθεν ἄλλον ἐν πόνοις δαμέντ' ἀδαμαντοδέτοις Τιτᾶνα λύμαις εἰσιδόμαν θεὸν Ἄτλαντα*: Oceanitides Promethei sortem cum sorte aliorum comparantes exclamant numquam se v i d i s s e similem excepto uno Atlante.

Prom. 199: *δέδια γὰρ ἀμφὶ σαῖς τύχαις πᾷ ποτε τῶνδε πόνων χρή σε τέρμα κέλσαντ' ἐσιδεῖν.*

Prom. 1127: *ἐσορᾷς μ' ὡς ἔκδικα πάσχω.*

II. simplex et compositum sine ullo notionis discrimine usurpantur:

Pers. 208: *ὁρῶ δὲ φεύγοντ' αἰετὸν πρὸς ἐσχάραν.*

Pers. 210: *εἰσορῶ μεθύστερον δὲ κίρκον ἐφορμαίνοντα.*

Pers. 213: *ταῦτ' ἔμοιγε δείματ' εἰσιδεῖν, ὑμῖν δ' ἀκούειν.*

Eodem refero Pers. 182: *ἀλλ' οὔτι πω τοιόνδ' ἐναργὲς εἰδόμην ὡς τῆς πάροιθεν εὐφρόνης* et deinde v. 203: *καὶ ταῦτα μὲν δὴ νυκτὸς εἰσιδεῖν λέγω.*

Minus certa exempla sunt haec: Pers. 916: *λέλυται γὰρ ἐμῶν γυίων ῥώμη τήνδ' ἡλικίαν ἐσιδόντ' ἀστῶν:* His verbis enim cum Xerxes in scenam prodeat, *εἰσιδόντα* fortasse apte ita interpretabimur: cum primum conspexit senes, quos filiis orbavit, effundit has querelas.

---

[1]) sane quidem trimeter iambicus *βοτὸν-μιξόμβροτον* differt a versu strophae:

⏒ ⏔́ ⏑ ⏕́ ⏓ –́ ⏑ –́ ⏓ –́ ⏑ –́

Itaque Hermannus interpretamento *ἐσορῶντες* genuinum vocabulum ut *κακόχαρι* expulsum esse ratus scripsit: *βοτὸν κακόχαρι* e. q. s. Sed hoc vocabulum nusquam alibi legitur et constructio valde dura fit permultis accusativis ab uno verbo pendentibus. Oberdickius proponit: *βόσκημ' ὁρῶντες* e. q. s. Similiter Heimsoethius, l. l. p. 487; sed *βοτὸν* glossema esse falso dicunt, cum ex contrario *βοτὸν* vocabulo *βόσκημα* explanetur cf. Apoll. lex. 52, 6, Hesych. s. v. — Weilius tenet *εἰσορᾶν*, sed omnia transmutat: *μιξόμβροτον ἐσορῶντι δυσχερὲς βοτόν.*

Prom 260: *ἐγὼ γὰρ οὔτ' ἂν εἰσιδεῖν τάδε ἔχρῃζον, εἰσιδοῦσά τ' ἠλγύνθην ἐγώ.*

Prom. 153: *εἰσιδοῦσα σὸν δέμας προςαναινόμενον ταῖσδ' ἀδαμαντοδέτοις λύμαις* (v. 150 invenitur simplex *λεύσσω*).

Agam. 828: *βαρύνεται καὶ τὸν θυραῖον ὄλβον εἰσορῶν.*

II. *εἰσορᾶν* idem est atque cerno animo, considero, quae significatio non diversa est a simplici:

Prom. 721: *πέφριχ' ἐσιδοῦσα πρᾶξιν Ἰοῦς.*

Prom. 929: *παρθενίαν εἰσορῶσ' Ἰοῦς ἀμαλαπτομέναν.*

III. praepositio propriam quandam vim habet:

Pers. 113: *ἔμαθον — ἐσορᾶν πόντιον ἄλσος.*

Prom. 262: *καὶ μὴν φίλοις ἐλεινὸς εἰσορᾶν ἐγώ.*

Prom. 825: *ἃς* (sc. *Γοργόνας*) *θνητὸς οὐδεὶς εἰσιδὼν ἕξει πνοάς.*

Prom. 146: *δέρχθητ', ἐσίδεσθ', οἵῳ δεσμῷ προσπορπατός — φρουρὰν ἄζηλον ὀχήσω,* ubi gradatio notionis coniunctis duobus synonymis quaeritur.[1])

Suppl. 435: *μή τι τλῇς τὰν ἱκέτιν εἰσιδεῖν ἀπὸ βρετέων βίᾳ δίκας ἀγομέναν,* ubi *εἰσορᾶν* fere idem est atque *περιορᾶν.*

Ex.

I. Praepositionis vis localis, ut remotio ex loco significetur, inest in ipsis verbis non addito nomine, quo locus vel res indicatur.

ἐκλείπω, ἐκλύω, ἐκπερῶ[2]), *ἐκσῴζω, ἐκτείνω*[3]), *ἐκτρέφω, ἐκφεύγω, ἐκφυγγάνω, ἐξαλύσκω, ἐξεγείρω, ἐξευρίσκω*[4]), *ἐξικνοῦμαι.*

ἐκκλέπτω furtim eripio, Agam. 667: *σκάφος ἤτοι τις ἐξέκλεψεν.* Eum. 153: *τὸν μητραλοίαν δ' ἐξέκλεψας ὢν θεός.* Simplex eundem intellectum sibi asciscit: Pind. Pyth. 4, 445: *κλέψεν τε Μήδειαν σὺν αὐτᾷ.* Antiph. 5, 38: *αὐτοὶ κλέπτουσι τοὺς μηνύοντας,* et saepius.

---

[1]) cf. Weckleinium ad Prom. v. 56.

[2]) cf. *διαπερῶ, διεκπερῶ.*

[3]) De sermone longiore sexies ab Aeschylo usurpatur, ut Agam. 907: *μακρὰν γὰρ ἐξέτεινας,* cf. simplex similiter ter usurpatum, ut Agam. 1295: *μακρὰν ἔτεινας.*

[4]) Prom. 484 simplex, v. 485 compositum.

ἐκπιδύομαι scaturio, Pers. 817: *κοὐδέπω κακῶν κρηπὶς ὕπεστιν, ἀλλ' ἔτ' ἐκπιδύεται.*[1]) cf. Anth. 10, 13, 2: *καλὸν δ' ὑπὸ πυθμέσιν ὕδωρ πιδύει* e. s.

ἐκπνέω efflo, Prom. 375: *κεραυνὸς ἐκπνέων φλόγα* cf. Pind. frg. 112 (Boeckh.): *πῦρ πνέοντος κεραυνοῦ* et Soph. Ant. 1146: *πῦρ πνεόντων χόραγ' ἄστρων.*

ἐξηγοῦμαι educo. Suo iure usurpatum videtur esse Agam. 667: *ἤτοι τις ἐξέκλεψεν ἢ 'ξηγήσατο.*[2]) Hermannus vertit: „ducem se praebuit", ut Soph. Oed. Col. 1520 et 1587, sed tum praepositio aliam vim in verbo *ἐξηγεῖσθαι,* aliam in *ἐκκλέπτειν* habet.[3]) Keckius recte vertit: Er führte heraus. Ac ne illud quidem offendere debet, quod hoc loco compositum sensu locali usurpatum est, quamquam altera significatio 'ducem se praebere' usitatior est, praesertim cum illa certe primaria fuerit.

ἐξιχνεύω investigo, Agam. 380: *πάρεστίν τοι τόδ' ἐξιχνεῦσαι* (Weilius): simplex eodem sensu invenitur Soph. Oed. Tyr. 221: *οὐ γὰρ ἂν μακρὰν ἴχνευον αὐτός.* Contra compositum augmentandi causa, ut videtur, usitatum est Eur. Bach. 352: *οἱ δ' ἀνὰ πόλιν στείχοντες ἐξιχνεύσατε τὸν θηλύμορφον ξένον.* At in hoc Aeschyli versu minime aptum est aliquam vim praepositioni tribuere, quoniam res facilis erat ad intellegendum.

ἐξοκέλλω in litus eicio, Agam. 671: *μήτ' ἐξοκεῖλαι πρὸς κραταίλεων χθόνα.* Suppl. 447: *καὶ δὴ πέφρασμαι· δεῦρο δ' ἐξοκέλλεται.*[4]) Simplex idem valet: Eur. Iph. T. 1379: *δεινὸς γὰρ κλύδων ὤκειλε ναῦν πρὸς γῆν.*

*ἐξορίνω** excito, Agam. 1631: *σὺ δ ἐξορίνας νηπίοις ὑλάγμασιν ἄξῃ.*

---

[1]) Schuetzius certe recte pro *ἐκπαιδεύεται.*

[2]) Cod. *'ξῃτήσατο,* quod Hermannus bene refutat: „quam enim precetur deus maiorem deo?"

[3]) hac quidem causa Hermannus ipse commotus est, ut corrigeret *'ξῃρήσατο,* nixus Aristoph. Thesm. 761, qui quidem versus a viris doctis spurius habitus est aut coniecturis correctus, cf. Lobeckium ad Phryn. pag. 718. Certe hic aoristus inusitatior est, quam quo ad emendationem confirmandam utamur.

[4]) sensu translato, ut schol. interpretatur: *οὕτως ἀποβαίνει.*

ἐξοτρύνω exstimulo, Sept. 679: *ὠμοδακὴς σ᾿ ἄγαν ἵμερος ἐξοτρύνει.*

παρεκβαίνω transgredior, Cho. 642: *σέβας παρεκβάντες οὐ θεμιστῶς.* Eodem modo dicitur *παραβαίνω*, ut Aesch. Agam. 780: *δίκην παραβάντες.*

Simillime res se habet in verbo *παρέξειμι* transgredior, Prom. 570: *οὔποτε τὰν Διὸς ἁρμονίαν θνατῶν παρεξίασι βουλαί:* cf. Hesiod. theog. 612: *ὡς οὐκ ἔστι Διὸς κλέψαι νόον οὐδὲ παρελθεῖν.*

Huc quoque referenda sunt verba dicendi et quaerendi.

ἐκφράζω, ἐξελέγχω, ἐξεύχομαι, ἐξορθιάζω (simplex Pers. 689).

ἐκρίπτω λόγους e. s. Prom. 964: *πῶς οὐχὶ ταρβεῖς τοιάδ᾿ ἐκρίπτειν ἔπη;* cf. Aesch. Prom. 328: *τραχεῖς καὶ τεθηγμένους λόγους ῥίψεις* et Eur. Alc. 679: *νεανίας λόγους ῥίπτων ἐς ἡμᾶς.*

ἐξαυδῶ eloquor, Cho. 151: *παιᾶνα τοῦ θανόντος ἐξαυδώμενος* et 271: *δυσχειμέρους ἄτας ὑφ᾿ ἧπαρ ἐξαυδώμενος.* Simplex in simillimis exemplis invenitur Eur. Io. 885: *σοὶ μομφὰν — αὐδάσω* et Soph. Trach. 171: *τὴν παλαιὰν φηγὸν αὐδῆσαί ποτε Δωδῶνι.* Certius etiam exemplum apud Sophoclem exstat: Phil. 1244: *σοφὸς πεφυκὼς οὐδὲν ἐξαυδᾷς σοφόν,* ubi Ulixes respondet: *σὺ δ᾿ οὔτι φωνεῖς οὔτι δρασείεις σοφά.* Contra Hom. Il. 1, 363: *ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ ἵνα εἴδομεν πάντες* praepositionem *ἐκ* propter contrarium additum urgeri recte Kriebitzschius[1]) dicit.

ἐξεῖπον edixi,

Agam. 921: *εἶπον*[2]) *τάδ᾿ ὡς πράσσοιμ᾿ ἂν εὐθαρσὴς ἐγώ,* ubi Clytaemnestra respondet: *καὶ μὴν τόδ᾿ εἰπὲ μὴ παρὰ γνώμην ἐμοί,* deinde autem v. 925 repetitur: *εἰδώς γ᾿ εὖ τόδ᾿ ἐξεῖπον τέλος.* Similiter apud Soph. Oed. R. 748: *δείξεις δὲ μᾶλλον, ἢν ἓν ἐξείπῃς ἔτι:* Iocaste respondet: *καὶ μὴν ὀκνῶ, ἃ δ᾿ ἂν ἔρῃ μαθοῦσ᾿ ἐρῶ.*

ἐξιστορῶ sciscitor, Cho. 674: *ἐξιστορήσας καὶ σαφηνίσας ὁδόν.* Alienissimum est a loci sententia praepositioni

---

[1]) l. l. p. 25.

[2]) sic scripsi cum Weilio, aliis: cod. exhibet: *εἰ πάντα δ᾿ ὡς πράσσοιμ᾿ ἂν εὐθαρσὴς ἐγώ,* quod corruptum esse apparet.

aliquam vim tribuere, cum Strophius ex hominum more in itinere sibi occurrentium illud tantum interroget, quo tendat Orestes, sicut schol. interpretatur: *ἐρωτήσας καὶ μαθών*.

Contra vis verbi praepositione *ἐκ* aucta videtur esse Herod. 7, 195: *τούτους οἱ Ἕλληνες ἐξιστορήσαντες τὰ ἐβούλοντο πυθέσθαι ἀπὸ τῆς Ξέρξεω στρατιῆς* e. q. s.: Agitur enim de duobus Persarum ducibus, qui a Graecis ad Artemisium capti erant. — Altero loco, ubi idem verbum apud Aeschylum legimus, Sept. 493: *θέλων ἐξιστορῆσαι μοῖραν ἐν χρείᾳ τύχης*, haec compositi interpretatio „von Grund aus erforschen“ non inepta est.

II. praepositio *ἐκ* intendit et auget paululum simplicia, sed saepius simplicia augeri non possunt.

ἐκδιδάσκω, ἐκκαθαίρω, ἐκκενῶ, ἐκμοχθῶ, ἐκπεραίνω, ἐκπέρθω, ἐκπίμπλημι, ἐκπονῶ, ἐκτελῶ, ἐκτελευτῶ, ἐκτυφλῶ, ἐκφθίνω, ἐκφοβῶ, ἐξαϊστῶ, ἐξαμῶ, ἐξευλαβοῦμαι.[1])

ἐκδέχομαι recipio, Agam. 297: *μέγαν δὲ πανὸν ἐκ νήσου τρίτον Ἀθῷον αἶπος Ζηνὸς ἐξεδέξατο*. Cho. 758: *Ὀρέστην ἐξεδεξάμην πατρί: δέχομαι* vox propria obstetricum est, ut Hesiod. theog. 479: *τὸν μέν οἱ ἐδέξατο Γαῖα πελώρη* et Aesch. Cho. 746: *ὃν ἐξέθρεψα μητρόθεν δεδεγμένη*.[2])

ἐκκαρπίζομαι fructum fero, Sept. 588: *ἄτης ἄρουρα θάνατον ἐκκαρπίζεται*.[3]) Simplex invenimus Eur. Hippol. 432:

---

[1]) *εὐλαβοῦμαι* derivatum est ab adiectivo *εὐλαβής* „wohl, fest, bedächtig anfassend“: igitur in verbo *ἐξευλαβοῦμαι* similis ubertas invenitur atque in *εὖ ἐξεπίσταμαι*.

[2]) Non facio cum Abreschio (ad h. l.), qui composito propriam quandam vim esse tribuendam censet „accepi alendum curandumque“, quoniam simplex tantum verbis alendi additis (cf. exempla supra scripta) ad hanc notionem cumulatam perveniret. Quod ut sequatur ex compositione, fieri non potest. Falso usus est scholio: *ἀντὶ τοῦ ἔθρεψα, ἀπέσωσα*. Nimirum sensit scholiasta metonymiam: haec recipiendi actio prima est et maxime propria obstetricis et quasi ceteras includit. Quamobrem non probo Weilii coniecturam *ἐξεθρεψάμην*.

[3]) Weilius contra alios editores hunc versum rectissime genuinum esse arbitratur. Additur enim ad praecedentem versum, ut accuratius definiantur, quae antea in universum dicta erant: *ἐν παντὶ πράγει δ' ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς κάκιον οὐδέν, καρπὸς οὐ κομιστέος*. Praeterea hic versus aperte opponitur nuntii verbis v. 580: *βαθεῖαν ἄλοκα διὰ*

τὸ σῶφρον — καὶ δόξαν ἐσθλὴν ἐν βροτοῖς καρπίζεται. Contra Theophr. de caus. plant. 4, 8, 3: *ἐκκαρπίζεται τὰ ἐδάφη* praepositione *ἐκ* notio frugibus privandi efficitur.

*ἐκκηραίνω** debilito, perdo, Eum. 127: *δεινῆς δρακαίνης ἐξεκήραναν μένος,* cf. Aristot. ap. Plut. mor. p. 886, d: *τὰ περίγεια κηραίνεται,* Aesch. Suppl. 1010: *θῆρες δὲ κηραίνουσι* (sc. *ὀπώραν*) e. s.

ἐκκυνηγετῶ persequor, Eum. 221: *τόνδε φῶτα ἐκκυνηγετῶ,* cf. Prom. 594: *ἀλλά με τὰν τάλαιναν κυνηγετεῖ* (sc. *ὁ βούτης*).

ἐκλούομαι lavor, frg. 32: *καλοῖσι λουτροῖς ἐκλελουμένος δέμας:* proprio sensu de eluendis vulneribus et ulceribus dicitur Polyb. 3, 88, 1: *τοὺς μὲν ἵππους ἐκλούων τοῖς παλαιοῖς οἴνοις.*

ἐκμανθάνω edisco.[1])

I. compositum prorsus idem est atque simplex:

α) vis praepositionis non iam sentiebatur adverbio *σαφῶς* addito: Prom. 843: *σαφῶς ἐκμάνθανε:* similiter Soph. Oed. R. 285 et 1065.

β) sententia negativa est: Prom. 802: *καὶ μηδὲ σαυτῆς ἐκμαθεῖν ζήτει πόνους* et v. 902: *σύ τ' οὐδὲν ἐκμαθοῦσα κερδανεῖς,* ubi si premeremus notionem ediscendi, evaderet sententia prorsus absurda.

Apud Sophoclem aptissima exstant exempla, ex quibus, quia compositum et simplex iuxta ponuntur, compositum non ita differre ab hoc concludi potest.

Oed. R. 575: *μαθεῖν δικαιῶ ταὔθ' ἅπερ κἀμοῦ σὺ νῦν:* Oedipus respondet: *ἐκμάνθαν'* e. q. s.

Tr. 335: *αὐτοῦ γε πρῶτον βαιὸν ἀμμείνασ' ὅπως μάθῃς, ἄνευ τῶνδ', οὕστινάς τ' ἄγεις, ὧν τ' οὐδὲν εἰσήκουσας ἐκμάθῃς ἃ δεῖ.*

φρενὸς καρπούμενος. — Ab Hermanno maxime in dubium vocatur verbum *ἐκκαρπίζεσθαι* pro *καρποῦσθαι,* et in versu Euripideo s. l. verbum *καρπίζεται* mutavit in *κομίζεται.* Sed recte fere omnes editores verbum ab optimis codd. traditum servaverunt. Accedit quod Bekk. anecd. p. 104, 5 affirmatur: *καρπίσασθαι ἀντὶ τοῦ καρπώσασθαι.*

[1]) apud Sophoclem saepissime invenitur, cf. Kriebitzschium l. l. p. 21—23.

Sed ut ad Aeschylum revertar, magis dubia videntur esse haec:

Prom. 270: *ἀφ' οὗ γε πολλὰς ἐκμαθήσονται τέχνας.* frg. 300, 1: *γένος μὲν αἰνεῖν ἐκμαθὼν ἐπίσταμαι.*

II. compositum propriam quandam vim habet:

Prom. 731: *τοὺς ἐμοὺς λόγους θυμῷ βάλ', ὡς ἂν τέρματ' ἐκμάθῃς ὁδοῦ:* Prometheus id agit, ut Io penitus cognitam habeat viam; quamobrem facit descriptionem accuratissimam et graviter admonet, ut Jo animum attendat.

Pers. 233: *κεῖνο δ' ἐκμαθεῖν θέλω, ὦ φίλοι, ποῦ τὰς Ἀθήνας φασὶν ἱδρῦσθαι χθονός.*

ἐκμαρτυρῶ testor, Eum. 464: *ἃ* (sc. *ποικίλα ἀγρεύματα*) *λουτρῶν ἐξεμαρτύρει φόνον,* cf. locum simillimum Cho. 1008: *μαρτυρεῖ δέ μοι φᾶρος τόδ', ὡς ἔβαψεν Αἰγίσθου φόνος.*

Accedit locus multum disceptatus Agam. 1195: *ἐκμαρτύρησον προὐμόσας τό μ' εἰδέναι λόγῳ παλαιὰς τῶνδ' ἁμαρτίας δόμων.* Ahrensius[1]) tradita lectione reiecta Dobraeum secutus (Advers. crit. III, p. 23 ed. Wagner.) scribit *ἐ. π. τὸ μὴ εἰδέναι* e. q. s., et vocem *ἐκμαρτυρεῖν* proprio sensu iudiciali interpretandam esse censet, i. e.: „testari pro aliquo, qui morbo aut aliis gravibus causis prohibitus est testari".[2]) Itaque Cassandra, cum chorum *ἐκμαρτυρίαν* praebere iubeat, ipsa est *μάρτυς*, i. e. ipsa vidit quae scit.[3]) Sed in hac interpretatione illud potius animadvertendum erat, Cassandram rem in maius tollere neque propria notione verbum positum esse, sed translata ex usu iudiciorum. Deinde vero lectionem propositam omnino non quadrare ad notionem verbi *ἐκμαρτυρεῖν* rectissime demonstra-

---

[1]) Philologus, Supplem. I, p. 626.

[2]) schol. ad Aeschin. *π. παραπ.* 19: *ἡ τοῦ μὴ παρόντος μαρτυρία καλεῖται ἐκμαρτυρία — τῶν ἀποδημούντων γὰρ καὶ τῶν μὴ δυναμένων ἐλθεῖν εἰς τὸ δικαστήριον, καὶ τὰς τετελευτηκότων μαρτυρίας ἐκ γραμματείων ἀνέγνωσαν*, cf. Meier-Schoemann, Attischer Prozess p. 879. Ahrensius non debebat afferre Poll. 8, 36 et Etym. M. 3, 24, 2; ibi enim parum accurate distinguitur, quid intersit inter *ἐκμαρτυρεῖν* et *ἀκοὴν μαρτυρεῖν.*

[3]) Isaeus *π. τ. Πύρρου κλ.* 20: *καὶ ἐπὶ μὲν ταῖς μαρτυρίαις αὐταῖς τοῖς παραγενομένοις αὐτοῖς τούτοις μάρτυσιν χρῆσθαι ἀναγκαῖόν ἐστιν ἡμῖν.*

verunt Keckius[1]) et Weckleinius.[2]) Ex quibus Weckleinius aptius sane ad sensum iudicialem scripsit: *ἐ. π. τῷδ' εἰδ. λόγῳ* e. q. s., et quid sibi velit *ἐκμαρτυρεῖν*, rectissime interpretatur: „Bezeuge, dass du die alten Frevel dieses Hauses aus meiner Rede wie von einer Augenzeugin erfahren hast". Neque aliter chorus dicit ... *λέγουσαν ὥσπερ εἰ παραστατεῖς*. Sed omnis haec interpretatio notionis *ἐκμαρτυρία* tantum orta est ex lectione mutata neque quadrat, si sequimur codicis scripturam: *τό μ' εἰδέναι* ... Itaque facio cum Keckio, qui scribit: *ἐ. π. τό μ' εἰδέναι νόῳ*[3]) e. q. s.: „Gieb mir ein eidlich Zeugnis, dass durch Geisteskraft mir wohlbekannt ist dieses Hauses alte Schuld".

ἐκματεύω[4]) exquiro, Eum. 247: *ὡς κύων νεβρὸν πρὸς αἷμα καὶ σταλαγμὸν ἐκματεύομεν*, cf. Agam. 1097: *ματεύει δ'* (v. 1078 *κυνὸς δίκην*) *ὧν ἀνευρήσει φόνον*.

ἐκτολυπεύω efficio, Agam. 1017: *οὐδὲν ἐπελπομένα ποτὲ καίριον ἐκτολυπεύσειν*. Simplex eadem significatione invenitur Hom. Il. 14, 86: *οἷσιν ἄρα Ζεὺς ἐκ νεότητος ἔδωκε καὶ ἐς γῆρας τολυπεύειν ἀργαλέους πολέμους*.

Incertum est de verbo *ἐξαγίζομαι** iudicium:

Agam. 646: *πολλοῖς δὲ πολλῶν ἐξαγισθέντας δόμων ἄνδρας διπλῇ μάστιγι*.

Nam Blomfieldius, Karstenus, Schneidewinus praepositioni *ἐκ* vim localem tribuendam esse censent atque Karstenus exemplis accurate allatis hanc suam interpretationem confirmat: „e multis domibus raptos et rogo traditos".[5]) Assensus est Dindorfius, Weilius. Contra Hermannus *ἐξαγισθέντας* „consecratos, devotos duplici Martis flagello" intellegi vult, quod ipsum simplex quoque significat: Eur. Alc. 76: *ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν ὅτου τόδ' ἔγχος ἁγνίσῃ τρίχα*.[6]) Itaque non nego Karsteni sententiam defendi posse, sed Her-

---

[1]) in comm. p. 397.

[2]) Studien zu Äschylus, p. 138—139.

[3]) *λόγῳ* solus Naegelsbachius interpretatur: „hac mea oratione".

[4]) cod. M. *ἐκμαστεύομεν*, corr. Dindorfius: vid. Hermannum ad Agam. 1058.

[5]) sane quidem scholiasta adnotat: *ἐξορισθέντας*.

[6]) cf. Weckleinium in ed., qui similia exempla affert.

manni interpretatio eodem iure obtineri poterit, quoniam utraque contra grammaticam vel sententiam non pugnat.[1])

ἐξακούω audio, Eum. 400: *πρόσωθεν ἐξήκουσα κληδόνος βοήν,* cf. Soph. Phil. 676: *λόγῳ μὲν ἐξήκουσ', ὄπωπα δ' οὐ μάλα.*

ἐξαμαρτάνω pecco, Prom. 1071: *σοφῷ γὰρ αἰσχρὸν ἐξαμαρτάνειν,* ubi elucet praepositionem in composito supervacaneam esse. Luculenta eiusdem usus exempla sunt apud Sophoclem[2]) Ant. 743: *οὐ γὰρ δίκαιά σ' ἐξαμαρτάνονθ' ὁρῶ:* Creon pergit: *ἁμαρτάνω γὰρ τὰς ἐμὰς ἀρχὰς σέβων,* cf. etiam v. 1023.

ἐξαμείβω transeo, Pers. 133: *τὸν ἀμφίζευκτον ἐξαμείψας ἀμφοτέρας ἅλιον πρῶνα κοινὸν αἴας,* cf. v. 70: *λινοδέσμῳ σχεδίᾳ πορθμὸν ἀμείψας Ἀθαμαντίδος Ἕλλας.* Altero loco Prom. 239: *κακαῖσι ποιναῖς ταῖσδέ μ' ἐξημείψατο* compositum diversam a vulgari notione — aut transeundi aut commutandi — significationem habet 'rependere', ut simplex et compositum *ἀνταμείβεσθαι.*[3])

ἐξαμύνομαι arceo, Prom. 499: *αἷς τὰς ἁπάσας ἐξαμύνονται νόσους.* Compositum raro usitatum bis apud Euripidem invenitur, Or. 269: *οἷς μ' εἶπ' Ἀπόλλων ἐξαμύνασθαι θεάς.* Suppl. 208.

ἐξαπόλλυμι occido, Cho. 836: *τὸν αἴτιον δ' ἐξαπολλὺς μόρον.* Agam. 533: *καὶ σπέρμα πάσης ἐξαπόλλυται χθονός.* Kriebitzschius[4]) Homeri exempla affert, in quibus praepositio *ἐκ*, cum verbum cum genitivo coniunctum sit, suam propriam vim tenet: Il. 6, 60: *Ἰλίου ἐξαπολοίατ' ἀκήδεστοι καὶ ἄφαντοι.*

---

[1]) adiectivum *ἐξάγιστος* significare solet „exsecratus", „detestandus", ut praepositionis *ἐκ* vis localis vigere videatur. Magis dubium videtur esse Soph. Oed. C. 1526: *ἃ δ' ἐξάγιστα μηδὲ κινεῖται λόγῳ,* ubi *ἐξάγιστος* „valde sanctus" (cf. schol. et Brunckium) aut „piacularis" (cf. Hermannum) explicatur. Si Hesychium sequimur (s. v. *ἐξάγιστος* et *ἐξάγιστα*) *ἐξάγιστος* vox media est ut *ἅγιος* et apud Latinos sacer. Atque hoc verum esse puto, ita ut praepositio *ἐκ* notionem verbalem tantum intendat.

[2]) l. l. p. 24.

[3]) cf. Weckleinium ad h. l. Ceterum Blomfieldius apographorum lectione *ἀνταμείβεσθαι* usus hoc verbum substituit.

[4]) l. l. p. 25.

Similiter 18, 290 et 20, 356. Neque aliter Karstenus ad Agam. 581 in altero Aeschyli versu (Agam. 533) genetivum *πάσης χθονός* a praepositione *ἐκ* verbi compositi pendere vult. Quod quamquam ita intellegi posse concedo, tamen omnino necessarium non est, cum *πάσης χθονός* pro genetivo subiectivo haberi possit: Accedit, quod priore loco (Cho. 836) praepositio *ἐκ* sine dubio a primaria notione locali recedit et tantum simplex intendit.

ἐξαποφθείρω deleo, Pers. 467: *ἕως ἁπάντων ἐξαπέφθειραν βίον*: Kriebitzschius[1]) aliquo iure dicit hoc loco ad unum omnes hostes interfectos esse; tamen verba delendi aliqua praepositione aucta semper ubertatem quandam prae se ferre nemo negabit: Hoc loco autem vocabulo *ἁπάντων* caedis magnitudo satis indicata erat.

ἐξαρτύω adorno, Prom. 737: *ἑκηβόλοις τόξοισιν ἐξηρτυμένοι.*[2]) Prom. 940: *ἐξαρτύεται γάμος γαμεῖν*. Homerus compositum nondum novit et simplex *ἀρτύειν* vel *ἀρτύνειν* simillime ponit Od. 4, 771: *γάμον ἄμμι — ἀρτύει.*

ἐξεικάζω similem reddo, Sept. 432: *οὐδὲν ἐξῃκασμένον μεσημβρινοῖσι θάλπεσιν τοῖς ἡλίου*, et Agam. 1243: *κλύοντ' ἀληθῶς οὐδὲν ἐξῃκασμένα.* Duobus locis negatio addita est, cf. praeterea simplex Eur. Bacch. 1253: *μητρὸς εἰκασθεὶς τρόποις.*

ἐξεπίσταμαι probe novi, Agam. 829: *εὖ γὰρ ἐξεπίσταμαι.* Praepositionis vim vocabulo *καλῶς* satis expressam habemus Soph. Oed. C. 417: *ἄμφω γ' ὁμοίως κἀξεπίστασθον καλῶς,* similiter Ant. 293.[3])

ἐξεργάζομαι perficio: huc referendum est propterea, quod perfecto tantum tempore dictum est: Pers. 528 et Agam. 1378: *ἐπ' ἐξειργασμένοις*. Pers. 761: *ἔργον ἐστὶν ἐξειργασμένον.*

ἐξομματῶ perspicuum reddo, Prom. 525: *καὶ φλογωπὰ σήματα ἐξωμμάτωσα.* Simplex eodem sensu usurpatur Cho.

---

[1]) l. l. p. 25.

[2]) Cod. M. exhibet *ἐξηρτημένοι* „suspensi telis". Sed *ἐξηρτημένος* ceteris exemplis iungitur cum accusativo tantum, ut Aristoph. Eccles. 494: *πώγωνας ἐξηρτημένας,* Aeschin. 3, 164, Luc. fug. 14. Plut. Brut. 31.

[3]) cf. Kriebitzschium l. l. pag. 27.

853: οὔτοι φρέν' ἂν κλέψειεν ὠμματωμένην, et Suppl. 476: ὠμμάτωσα γὰρ σαφέστερον. Contra compositum notat oculorum acie privari, quae notio orta est ex praepositione ἐκ[1]: Eur. frg. 541 (Nauck): ἡμεῖς δὲ Πολύβου παῖδ' ἐρείσαντες πέδῳ ἐξομματοῦμεν, cf. schol. Eur. Phoen. 61: ἐν δὲ τῷ Οἰδίποδι οἱ Λαΐου θεράποντες ἐτύφλωσαν αὐτόν.

ἐξοπλίζω instruo, Suppl. 691: δακρυογόνον Ἄρη βοάν τ' ἔνδημον ἐξοπλίζων et v. 710: πρὶν ἐξοπλίζειν Ἄρη. —

Tertius locus in controversia est: Suppl. 105: βίαν δ' οὔτιν' ἐξοπλίζει (sc. Ζεύς). „Ob er gleich das Rüstzeug der Kraft nicht anlegt“ (Krusius). Similiter interpretatur Weilius. Sed Oberdickius verba ita intellegi posse rectissime negat. Nam tum medium exspectaremus, ut Anth. 5, 98: ὁπλίζευ, Κύπρι, τόξα, et metaphorice Soph. El. 996: ποῖ γάρ ποτ' ἐμβλέψασα τοιοῦτον θράσος αὐτή θ' ὁπλίζει e. q. s., vel medium cum dativo coniunctum, ut Eur. Bacch. 733: οἱ δ' ὀξυθήκτοις φασγάνοις ὡπλισμένοι. Xen. Cyr. 6, 4, 4 e. s.

Atque Oberdickius quidem correxit βίαν δ' οὔτις ἐξοπλίζει: „Die Macht der Götter entwaffnet niemand“. Sane semel App. bell. civ. 2, 28: οὐδ' ἐξοπλίζειν Καίσαρα τῆς στρατιᾶς hoc verbum significatione exarmandi invenitur, sed Aeschylus locis supra scriptis numquam non notione usitata utitur. Itaque facio cum Hermanno, qui hoc verbo prorsus reiecto scribit: βίαν δ' οὔτις ἐξαλύξει.

ἐξυπτιάζω resupino, Sept. 564: ἐξυπτιάζων ὄμμα.[2]) Etiam in hoc composito praepositione vim verbi simplicis auctam esse puto: ὑπτιάζειν transitive usurpatum est, ut exempla ex posterioribus scriptoribus sumpta omittam, Soph. Phil. 822: κάρα ὑπτιάζεται τόδε. — Sane quidem interpretatio huius Aeschyli loci non plane certa est: sed Weilio quidem non adsentior, qui interpretatur: ἀνατείνειν τὰς ὀφρῦς. Schuetzius explicat: oculos in Polynicem reflectens s. resupino vultu spectans.[3])

---

[1]) de hac duplici significatione cf. Valckenarium diatr. p. 197 a.

[2]) cod. M. exhibet ὄνομα, quod vel propter metrum corruptum est. Schol. ἀναπτύσσων, ἐτυμολογῶν adnotat, quae quidem interpretatio optime ad sequentem versum quadrat: δίς τ' ἐν τελευτῇ τοὔνομ' ἐνδατούμενος, cf. ἐνδατοῦμαι.

[3]) a viris doctis rectissime Clem. Alex. Paedag. 3, p. 296 allatum

προεξεπίσταμαι probe praescio, Prom. 101: *πάντα προὐξεπίσταμαι σκεθρῶς τὰ μέλλοντ᾽*, et Prom. 725: *νοσοῦσί τοι γλυκὺ τὸ λοιπὸν ἄλγος προὐξεπίστασθαι τορῶς*, cf. *ἐξεπίσταμαι*.

Ἐν.

ἐγκατασκήπτω[1]), *ἐμπίμπλημι*, *ἐμπρέπω*, *ἐναντιοῦμαι*, *ἐνέχομαι*, *ἐννοῶ*.

Paulo uberius tractabo:

ἐγκελεύω impero, „dreinherrschen" (Weckleinius), Prom. 72: *μηδὲν ἐγκέλευ᾽ ἄγαν*, ubi immoderatio imperandi particula *ἄγαν* satis indicatur.

ἐγκοτῶ irascor, Cho. 41: *τοῖς κτανοῦσί τ᾽ ἐγκοτεῖν*. Semel legitur apud Sophoclem, cf. Hesych. s. v. *ἐγκότημα: καὶ ἐνεκότουν παρὰ Σοφοκλεῖ*. Simplex autem usu tritum apud Aeschylum omnino non invenitur.

ἐμβαίνω ingredior, Agam. 1566: *ἐς τόνδ᾽ ἐνέβης ξὺν ἀληθείᾳ χρησμόν*: „in hoc vere incidisti vaticinium". Keckium[2]) offendit haec dictio, sed similiter Plat. legg. 3, 686 C: *εὐτυχῶς πως ἐμβεβήκαμέν γε εἴς τινα σκέψιν ἱκανήν*.

*ἐμβριμῶμαι** fremo, Sept. 448: *ἵππους δ᾽ ἐν ἀμπυκτῆρσιν ἐμβριμωμένας*.

ἐμφύρω immisceo, frg. 38: *ἵπποι δ᾽ ἐφ᾽ ἵπποις ἦσαν ἐμπεφυρμένοι*. Compositum raro invenitur, ut Lycophr. 1380: *βῶλον ἐμπεφυρμένην νασμοῖς*. Opp. hal. 3, 498. Simplex autem idem notat, ut Aesch. Prom. 466: *ἔφυρον εἰκῇ πάντα*.

ἐνδάκνω mordeo, Suppl. 908: *ἔχιδνα δ᾽ ὥς μέ τις πόδ᾽ ἔνδακοῦσ᾽ ἔχει*[3]): Composito clarius tantum indicatur, quod in

---

est: *τὸ ἐν ταῖς ὁδοῖς σαλεύειν καὶ ἐξυπτιάζοντα παραβλέπειν*, ubi compositum simillima sententia intransitive usurpatur. Neque aliter simplex usurpatur Aeschin. 1, 132: *ὑπτιάζων καὶ κατασκοπούμενος ἑαυτόν*.

[1]) cf. *ἀποσκήπτω*.

[2]) Keckius scribendum coniecit: *ἐς τόνδ᾽ ἐνέβη* (sic cod. M.) *ξὺν ἀληθείᾳ χρησμός*: „usque ad hunc (sc. maritum) vere pervenit oraculum". Contra iam Hermannus recte dixerat, si *χρησμός* recte se haberet, desiderari *ὅδε*, quod hoc vocabulum ad chori vaticinium praecedens referretur.

[3]) cod. exhibet: *τί ποτ᾽ ἔν δακοσάχ*: Weilius et Oberdickius malunt compositum *ποτιδακοῦσ᾽*.

notione mordendi ipsa inest, cf. Eur. Hippol. 1223: *αἳ δ' ἐνδακοῦσαι στόμια* et Aesch. Prom. 1041: *δακὼν δὲ στόμιον ὡς νεοζυγὴς πῶλος βιάζῃ*.

*ἐνδακρύω** fleo, Agam. 546: *ὥστ' ἐνδακρύειν γ' ὄμμασι χαρᾶς ὕπο*. Cod. Farn. (ex recens. Triclinii) exhibet *ἐκδακρύειν*, quod receperunt Engerus et Hermannus, collatis locis Euripideis Or. 1122: *ὥστ' ἐκδακρῦσαί γ'*. Phoen. 1353. Ceteri editores rectissime servaverunt Medicei codicis scripturam. Keckius interpretatur compositum: „Der Herold bricht nicht in Thränen aus, sondern allmählich füllt sich ihm das Auge mit Thränen." Argutius, quam verius. Praeterea fieri non potest, ut haec mutata notio oriatur ex mera praepositione *ἐν*. Weckleinius ad interpretandum affert Eur. Hec. 246: *ὥστ' ἐνθανεῖν γε σοῖς πέπλοισι χεῖρ' ἐμήν* pro *ὥστε θανεῖν ἐν σοῖς πέπλοις*.[1]) Passowius vertit: „Thränen dabei vergiessen" (ut *ἐμμειδιῶ* Xen. cyn. 4, 3, *ἐναπόλλυμι* Xen. Hell. 3, 1, 4, *ἐναπολογοῦμαι* Aeschin. 1, 122 e. s.). —

Utcumque iudicamus, compositum ubertatis causa et abundanter usurpatum esse et simplex eodem iure poni potuisse apparet.

ἐνδατοῦμαι[2]) divido, Sept. 565: *δίς τ' ἐν τελευτῇ τοὔνομ' ἐνδατούμενος* (sc. nomen Polynicis): schol: *εἰς δύο διαιρῶν τὸ ὄνομα, τὸ πολὺ καὶ τὸ νεῖκος*.

Tum significat compositum idem atque simplex. Aliter Weilius *ἐνδατεῖσθαι ὄνομα* de nomine pro convicio iacto usurpatum esse censet, usus exemplis Eur. Herc. fur. 218: *λόγους ὀνειδιστῆρας ἐνδατούμενος*. Sed verba *δίς τ' ἐν τελευτῇ* prorsus non quadrant.[3]) Accedit, quod notionem dividendi confirmat scholion ad v. 564: *ἀναπτύσσων, ἐτυμολογῶν*[4]), quod

---

[1]) Keckius hanc dictionem *δακρύειν ἐν ὄμμασι* propter tautologiam non ferendam esse ratus correxit *ὥστ' ἐνδακρύειν γ' ὄμμα νῦν* e. q. s. Sed simillima tautologia invenitur Aesch. Sept. 566: *λέγει δὲ τοῦτ' ἔπος διὰ στόμα* et Eur. Or. 103: *ἀναβοᾷ διὰ στόμα*.

[2]) de hoc verbo cf. Blomfieldium ad h. l., de toto loco Heimsoethium, Wiederherstellung, p. 400—405.

[3]) Weilius corrigit paulo liberius *δίς γ' ἀντὶ λύμης*. Dindorfius nihil mutat et interpretatur: 'Hoc igitur dicit finivisse illum opprobria sua exclamatione *ὦ Πολύνεικες*', quod Weilius recte refutavit.

[4]) hanc nominis etymologiam poetam secutum esse ex v. 815: *Πολυνεικεῖς ὤλοντ' ἀσεβεῖ διανοίᾳ* elucet.

errore ad versum praecedentem adscriptum est. Nimirum si etymologiam alicuius vocabuli instituimus, dividimus in singulas partes vocabulum. Sane quidem codicum scripturam corruptam esse concedendum est et probabiliter Herwerdenus coniecit: *δισσῇ τελευτῇ*.

Itaque etiam *ἐνδατοῦμαι* hoc loco simplicis instar habendum est.

ἐνδείκνυμι ostendo, Prom. 421: *θεοῖς τοῖς πάρος ἐνδείκνυσιν αἰχμήν*. Facile intellegitur addita praepositione *ἐν* („anzeigen, aufzeigen") verbum compositum accipere notionem 'gloriari', Plat. Prot. 317 C: *τῷ Ἱππίᾳ ἐνδείξασθαι καὶ καλλωπίσασθαι.*[1])

ἐνζεύγνυμι illigo, Prom. 601: *ταῖσδ' ἐνέζευξας ἐν πημοναῖς*, cf. Cho. 791: *ζυγέντ' ἐν ἅρμασιν πημάτων*.

ἐντείνω intendo, frg. 83: *τόξον ὥς τις ἐντείνων*. Simplex invenitur Aesch. Agam. 375: *τὸν ... ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ τείνοντα πάλαι τόξον*. Apud Homerum vero tantum simplex invenitur, ut Il. 4, 124: *κυκλοτερὲς μέγα τόξον ἔτεινεν*. Posteriores scriptores saepius compositum usurpant, ut Herod. 2, 173, Eur. Iph. A. 549, quo hoc certe voluerunt indicare, arcum antea remissum nervo intendi.

ἐντέμνω incido, Agam. 17: *ὕπνου τόδ' ἀντίμολπον ἐντέμνων ἄκος*: Dictionem a radicibus secandis translatam esse recte dicit scholiasta ad Eur. Androm. 121[2]), ubi simplex eadem significatione atque compositum *ἐντέμνειν* invenitur:

εἴ τί σοι δυναίμαν ἄκος τῶν δυσλύτων πόνων τεμεῖν, cf. etiam Aesch. Cho. 537: *ἄκος τομαῖον*. Eadem autem significatione compositum *ἀντιτέμνειν* ponitur Eur. Alc. 972: *φάρμακα πολυπόνοις ἀντιτεμὼν βροτοῖσι*, cf. Pind. Pyth. 4, 221: *φαρμακώσαισ' ἀντίτομα ὀδυνᾶν*.

ἐντέμνειν dicitur, quod radix vel planta inciditur, ut ex ea sucus sanatorius (i. e. remedium) se effundat.[3]) Quamobrem

---

[1]) cf. Deuschle-Cron, ad h. l.

[2]) *τεμεῖν ἀπὸ τῶν ῥιζοτομούντων ἡ μεταφορά.* Theophr. hist. pl. 9, 1, 5—7 uberius res describitur.

[3]) cf. Theophr. l. l., § 6: *τὸν δὲ λιβανωτὸν καὶ σμύρναν ὑπὸ κύνα φασὶ καὶ ταῖς θερμοτάταις ἡμέραις ἐντέμνειν.*

Ahrensius[1]) lectionem cod. M. non probat et praefert codd. Flor. et Ven. ἐκτέμνων, cui Keckius assentitur. Contra Weckleinius[2]) ἐντέμνειν ἄκος — „das unmittelbare Bereiten des Heilmittels" — rectissime defendit, sed modum egreditur, cum dicit id solum ad nostrum locum quadrare. Nam hoc concedendum est et ἐκτέμνειν sine ulla dubitatione poni potuisse, et ἐντέμνειν inusitate admodum a poeta esse adhibitum. Nimirum duae structurae et sententiae inter se permixtae sunt: ῥίζαν ἐντέμνειν, quae est prima operis pars, et ἄκος ἀντιτέμνειν vel ἐκτέμνειν vel τέμνειν, quod deinde sequitur, cf. supra: ἥκω δολιχῆς τέρμα κελεύθου διαμειψάμενος et διαρταμήσει σώματος μέγα ῥάκος.

ἐπενδίδωμι insuper do, Agam. 1385: καὶ πεπτωκότι τρίτην (sc. πληγὴν) ἐπενδίδωμι.

Ἐπί.

Ingens est horum verborum numerus, sed propter varias praepositionis ἐπί significationes in verbis compositis, quam in quoque loco vim habeat, saepe definiri non potest. Tamen multis locis simplicia sine graviore sententiae differentia poni potuisse facile apparet. Ceterum iam apud Homerum[3]) eiusmodi compositorum numerus haud exiguus est et maxime ex his intellegitur hanc dictionis ubertatem, ut praepositio verbis sine propria vi addatur, a Graecis iam antiquissimo tempore esse quaesitam.

ἐπαγγέλλω,[4]) ἐπαιδοῦμαι,[5]) ἐπαισχύνομαι,[5]) ἐπαισθάνομαι, ἐπαναγκάζω,[6]) ἐπαναμένω, ἐπανατέλλω, ἐπαρήγω, ἐπαρκῶ, ἐπαφῶ,[7]) ἐπεικάζω, ἐπέλπομαι,

[1]) Philolog. Supplem. I, p. 227—28.

[2]) Studien zu Aeschylus, p. 92.

[3]) cf. La Roche, in ann. Gymn. Austriac. 1870 et 1871: „Beobachtungen über den Sprachgebrauch von ἐπί im Homer".

[4]) hoc compositum prorsus instar simplicis iam apud Homerum invenitur Od. 4,775: μύθους μὲν ὑπερφιάλους ἀλέασθε πάντας ὁμῶς, μή πού τις ἐπαγγείλῃσι καὶ εἴσω (Bekkerus et Nauckius pro ἐπαγγ., quod est in optimis codicibus, ἀπαγγ. scribunt).

[5]) praepositio in his verbis et similibus habet vim causalem, quae addito accusativo casu indicatur.

[6]) cf. verbum simillimum εἰσαναγκάζω.

[7]) ex notione verborum tangendi ipsa sequitur vis praepositionis.

ἐπευθύνω,[1]) ἐπευφημῶ, ἐπεύχομαι, ἐπιγιγνώσκω,[2]) ἐπικεύθω, ἐπικραίνω, ἐπικρούω, ἐπικρύπτω, ἐπικύρω, ἐπιμιμνήσκω, ἐπινωμῶ,[3]) ἐπιπείθομαι, ἐπισκοπῶ, ἐπιτέλλω, ἐπιχαλῶ, ἐποικτείρω, ἐπορθιάζω, ἐποτρύνω, ἐφάπτομαι, ἐφέπομαι, ἐφυμνῶ.

ἐπάγω adduco, Cho. 403: ἄτην ἑτέραν ἐπάγουσαν ἐπ' ἄτῃ, ubi recte Lalinius[4]) dicit: „Poeta plene atque copiose sententiam expressit non solum eodem substantivo repetito, sed etiam praepositione bis usurpata, cum ἐπί cum verbo composito et cum dativo casu coniunctum legatur." — Sept. 142: ποῖ δ' ἔτι τέλος ἐπάγει θεός;

ἐπαινῶ suadeo: saepius idem valet atque παραινῶ vel simplex αἰνῶ, cf. Cho. 533: αἰνῶ δὲ κρύπτειν τάσδε συνθήκας ἐμάς e. s. — Suppl. 1007: ὑμᾶς δ' ἐπαινῶ μὴ καταισχύνειν. Cho. 597: ὑμῖν δ' ἐπαινῶ γλῶσσαν εὔφημον φέρειν. Sept. 583: τούτῳ σοφούς τε κἀγαθοὺς ἀντηρέτας πέμπειν ἐπαινῶ: Hic verbi usus tantum apud poetas tragicos invenitur, ut saepius apud Sophoclem: Oed. C. 665: θαρσεῖν μὲν οὖν ἔγωγε κἂν ἐμῆς ἄνευ γνώμης ἐπαινῶ.

ἐπαιτιῶμαι accuso, Prom. 1006: ἦ κἀμὲ γάρ τι συμφοραῖς ἐπαιτιᾷ; Recte Hermannus contra Abreschium monuit dati-

---

[1]) Pers. 862: ἠδὲ νομίσματα πύργινα πάντ' ἐπηύθυνον. Scholl. inter se discrepant: *M:* τὰ νόμιμα πάντα τῶν τετειχισμένων πόλεων. *B:* τα πυργοῦντα καὶ συνιστῶντα πόλεις. Neque editorum interpretationes, ut Schuetzii et Todtii (l. l. p. 13) magis arrident. Weckleinius satis vehementer verba mutavit: πολίσματα πύργινα πάντ' ἐπέρθομεν. Sed corruptum esse videtur πύργινος, quod praeter hunc locum nusquam legitur. Itaque scribendum propono: ἠδὲ νομίσματα πύκνα τὰ πάντ' ἐπηύθυνον.

[2]) iam apud Homerum simplicis instar invenitur: Od. 24, 217: αἴ κέ μ' ἐπιγνώῃ e. q. s., cf. la Roche p. 128: „Der Bedeutung nach unterscheidet sich ἐπιγιγνώσκω nicht wesentlich von dem einfachen γιγνώσκω."

[3]) Aeschylus et posteriores scriptores usurpant νωμᾶν tantum significatione versandi, quamquam tribuendi notio, quam solam compositum tenet, genuina est, cf. Curtius, Etymol. p. 314, ut Hom. Il. 1, 471: νώμησαν ἄρα πᾶσι e. q. s., etiam Pind. Nem. 9, 121: ἀργυρέαισι δὲ νωμάτω φιάλαισι βιατὰν ἀμπέλου παῖδ'.

[4]) Lalin, de praepositionum usu apud Aeschylum, Upsala 1885, p. 46.

vum non ex praepositione quae esset in ἐπαιτίᾳ pendere, sed dativum causae interpretatur: „ob calamitatem tuam.“ [1])

ἐπαλαλάζω acclamo, Sept. 484: αὐτὸς δ' ἐπηλάλαξεν et v. 935: τελευταῖαι δ' ἐπηλάλαξαν Ἀραὶ τὸν ὀξὺν νόμον.[2])

ἐπανθίζω quasi floribus orno, Sept. 933: πολλοῖς ἐπανθίσαντες πόνοισι γενεάν.[3]) Cho. 150: ὑμᾶς δὲ κωκυτοῖς ἐπανθίζειν νόμος (sc. χοάς). Eadem est simplicis verbi significatio, ut Philostr. p. 317, 7 [4]): τὴν κεφαλὴν ῥόδοις ἀνθίσας. Herod. 1, 98: οἱ προμαχεῶνες ἠνθισμένοι εἰσὶ φαρμάκοισι, cf. Soph. El. 43.

Incertum est iudicium de tertio loco: Agam. 1460: πολύμναστον ἐπηνθίσω δι' αἷμ' ἄνιπτον (sic libri exhibent).

Hermannus Wellauerum secutus delet δι' ut ex dittographia syllabae sequentis ortum et verba vertit: „tu multum recordandum tibi aspersisti inexpiabilem sanguinem.“

Weilius ἐπανθίζεσθαι sensu carpendi interpretatur, sed id notat compositum ἀπανθίζειν.

Sed si compositum a libris traditum tenetur,[5]) etiam hoc loco compositum idem valere atque simplex puto, atque interpretor aut cum Wilamowitzio,[6]) qui ex verbo ἐπανθίζεσθαι substantivum ἄνθος supplet,[7]) aut πολύμναστον neutrum substantivum esse arbitror, ut ξύμφορα δεῖσθαι (Thuc. 1, 32) e. s.

ἐπεῖπον, Suppl. 983: πᾶς τις ἐπειπεῖν ψόγον ἀλλοθρόοις εὔτυκος.

Dindorfius in lex. Aesch. s. v. vertit: „insuper dicere, dictis addere,“ quod ad sententiam loci communis parum aptum est. Eandem interpretationem secutus Heimsoethius [8]) scribendum coniecit:

---

[1]) Weckleinius ad h. l. similia collegit exempla.

[2]) usus transitivus simplicis invenitur Soph. Ant. 133: ἐπ' ἄκρων ἤδη νίκην ὁρμῶντ' ἀλαλάξαι.

[3]) ἐπανθήσαντες M., corrupte, quod ἐπανθῶ verbum intransitivum est.

[4]) ed. Kayser, Leipz. 1871.

[5]) Casaubonus coniecit ἀπηνθίσω, Auratus ἀπήνθισεν, quod Weckleinius probavit.

[6]) ind. schol. hib. Gryphiswald. p. 7—8.

[7]) Hauptius, opusc. 2, 300 ff. uberius de hoc usu disputavit.

[8]) Wiederherstellung, p. 59.

v. 983: *κεῖ τόπος εὔφρων, πᾶς τις ε. ψ. ἀ. εὖ.* — i. e.: Homines quamvis benevoli sint (sc. in peregrinos excipiendos), tamen dictis addunt maledicta. Sed *ἐπειπεῖν* nihil aliud significat nisi quod in ipso nomine *ψόγος* inest, contra aliquem dicere.

ἐπεκχωρῶ postea procedo, Pers. 404: *δεύτερον δ' ὁ πᾶς στόλος ἐπεξεχώρει.* Adverbio *δεύτερον* idem indicatur quod in verbo composito inest, reliquam omnem classem post dextrum cornu procedere.

Contra in duplici composito *ἐπεμβαίνω* duae praepositiones suam vim tenent. Sept. 621: *πύργοις ἐπεμβάς.* Nam *ἐπί* indicat turres ascendi, ex praepositione *ἐν* pendet dativus. Soph. Oed. C. 924: *τῆς ἐπεμβαίνων χθονός* vacat praepositio *ἐν*.

Similiter in verbo *ἐπενδίδωμι* insuper do, Aesch. Agam. 1385: *καὶ πεπτωκότι τρίτην ἐπενδίδωμι* praepositio *ἐπί* ad adverbium numerale ubertatis causa addita est (cf. *ἐπεκχωρῶ*).

ἐπενθρώσκω insilio, Pers. 362: *σέλμασιν νεῶν ἐπενθορόντες*: Praepositio *ἐπί* supervacanea videtur esse.[1])

ἐπεξιακχάζω exclamo, Sept. 622: *ἁλώσιμον παιᾶν' ἐπεξιακχάσας*, cf. Herod. 8, 65: *τὴν φωνὴν τῆς ἀκούεις ἐν ταύτῃ τῇ ὁρτῇ ἰακχάζουσι.*

ἐπιβοῶ acclamo, Pers. 1055: *καὶ στέρν' ἄρασσε κἀπιβῶ*[2]) *τὸ Μύσιον*: Aristoph. av. 898: *μέλος χέρνιβι θεοσεβὲς ὅσιον ἐπιβοᾶν* vis praepositionis manifesta est.[3])

ἐπιγηθῶ laetor, Prom 166: *μήτε τις ἄλλος τοῖσδ' ἐπεγήθει*: Non assentior Weckleinio, qui verbo *ἐπιγηθεῖν* certam quandam notionem vindicat: *ἐπιγηθεῖν* et *ἐπιχαίρειν* idem valere atque *τὸ συνεπιγελᾶν τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς.*[4]) Quae notio casu quadrat ad compluria exempla, sed non ad omnia, ut Soph. Ai. 136: *σὲ μὲν εὖ πράσσοντ' ἐπιχαίρω.* Opp. hal. 1, 570: *γάμῳ δ' ἐπιγηθήσαντες.* — Abreschius ad Agam. 736 recte adnotat: „Quid aliud *ἐπιχαίρειν* quam *χαίρειν ἐπί.*" —

---

[1]) *ἐπανθορόντες M.*, corrupte, quod *ἀναθρώσκω* minime quadrat ad navium transtra, in quibus remiges considunt.

[2]) Dindorfius lex. Aesch. s. v. metri causa pro cod. *κἀπιβόα.*

[3]) cf. Kockii adnotationem ad h. l.

[4]) Valckenarius ad Ammon. 2, 1 idem sentit.

Sed idem fere valet verbum simplex cum dativo casu coniunctum.

ἐπιδείκνυμι ostendo, Suppl. 53: *ἐπιδείξω πιστὰ τεκμήρια,* ubi schol. interpretatur: *δείξω π. τ.*

*ἐπικαινῶ** novo, Eum. 696: *αὐτῶν πολιτῶν μὴ 'πικαινούντων νόμους.*

ἐπικείρω intercido, Pers. 923: *οὓς νῦν δαίμων ἐπέκειρεν.* Dindorfius substituit *ἀπέκειρεν.* Atqui similiter legitur Hom. Il. 16, 394: *πρώτας ἐπέκερσε φάλαγγας,* cf. 15, 467. Passowius non bene vertit: „anmähen", Ameisius (ad Il. 16, 394) recte: „darüberhinmähen", ita ut notio simplicis verbi exaggeretur.[1])

ἐπικηρύσσω per praeconem denuntio, Sept. 621: *πύργοις ἐπεμβὰς κἀπικηρυχθεὶς χθονί* (sc. *βασιλεύς*). Abreschius mire interpretatur „suffectus, substitutus", sed rectius idem addit „vel *κηρυχθεὶς ἐπὶ χθονί,* ut rex declaretur regionis." Quamquam non a praepositione dativus pendet, sed ab ipso verbo *κηρύσσειν.* — Contra praepositio ad notionem explendam necessaria est, cum significet: publico edicto pecuniam vel poenam in caput alicuius constituere, ut saepe: Herod. 7, 212.: *καί οἱ φεύγοντι .... ἀργύριον ἐπεκηρύχθη.*

ἐπιμαίνομαι furo, Agam. 1428: *φονολιβεῖ τύχᾳ φρὴν ἐπιμαίνεται.* Etiam scholiasta praepositionem vim suam abiecisse sensit: *μαίνεται ἡ φρήν.* Contra loco altero Sept. 140: *δοριτίνακτος αἰθὴρ δ' ἐπιμαίνεται* Hermannus aptissime vertit: „adstrepit isti curruum stridori (cf. v. 137) tremefactus hastis aether."

ἐπιρρήγνυμι scindo, Pers. 1031: *πέπλον δ' ἐπέρρηξ' ἐπὶ συμφορᾷ κακοῦ.* Quam vim habeat praepositio, indicatur iis quae addita sunt *ἐπὶ συμφορᾷ.*

*ἐπιρρύομαι** servo, Sept. 150: *ἑπτάπυλον ἕδος ἐπιρρύου.*

ἐπισκήπτω incido, Eum. 485: *ἐπεὶ δὲ πρᾶγμα δεῦρ' ἐπέσκηψεν τόδε:* Notio localis praepositionis *ἐπί* adverbio *δεῦρο* exprimitur. Simplex similiter invenitur Agam. 322: *Ἀτρειδῶν ἐς τόδε σκήπτει στέγος φάος τόδε.*

---

[1]) simplex similiter notione vastandi invenitur Aesch. Pers. 955: *νυχίαν πλάκα κερσάμενος.*

ἐπισπένδω infundo, Cho. 149: *τοιαῖσδ' ἐπ' εὐχαῖς ἐπισπένδω χοάς* et frg. 161: *οὐδ' ἄν τι θύων οὐδ' ἐπισπένδων ἄνοις*. Contra Agam. 1394: *εἰ δ' ἦν πρεπόντων ὥστ'*[1] *ἐπισπένδειν νεκρῷ* recte Weilius interpretatur: *σπένδειν ἐπὶ θανάτῳ ἀνθρώπου*, quoniam *σπένδειν νεκρῷ* nimirum moris est et prorsus decorum.[2]

*ἐπισταθμῶμαι** pondero, Agam. 174: *πάντ' ἐπισταθμώμενος*.

ἐπιστρατεύω expeditionem suscipio adversus aliquem, Pers. 782: *κἀπεστράτευσα πολλὰ σὺν πολλῷ στρατῷ*. Primum verbo ipso *στρατεύειν* indicatur expeditionem contra aliquem fieri, deinde eo magis compositum supervacaneum est, quod Darius in universum dicit se multa bella gessisse.

ἐπιστρέφομαι converto, Suppl. 517: *λευρὸν κατ' ἄλσος νῦν ἐπιστρέφου τόδε*, cf. Prom. 734: *ἡλίου πρὸς ἀντολὰς στρέψασα σαυτήν*.

ἐπιφλέγω incendo, inflammo, Pers. 398: *σάλπιγξ δ' ἀϋτῇ πάντ' ἐκεῖν' ἐπέφλεγεν*. Simplex similiter usurpatur Eur. Phoen. 241. Sed compositum haud scio an hoc loco insuper inflammare vertendum sit. Gradatio enim loco optime convenit: primum exoritur clamor bellantium (v. 391), deinde accedit sonitus tubarum et ipse bellatoribus animos addens.

ἐπολολύζω clamorem extollo, Agam. 1235: *ὡς δ' ἐπωλολύξατ' ἡ παντόλμος*: Non ita multum differt a simplici. Sed vis praepositionis cognoscitur ex his, Sept. 810: *πότερον χαίρω κἀπολολύξω πόλεως ἀσινεῖ σωτῆρι*, ubi recte schol. A[3]) interpretatur: *ἆρα . . . παιανίσω ἐπὶ τῇ τῆς πόλεως σωτηρίᾳ*.

Cho. 941: *ἐπολολύξατ' ὦ δεσποσύνων δόμων ἀναφυγᾷ κακῶν καὶ κτεάνων τριβᾶς*.[4]

ἐφορῶ[5]):

---

[1]) lectionem codicis, de qua nonnulli dubitaverunt, defendit Weckleinius.

[2]) similiter iudicant Hermannus et Keckius.

[3]) schol. Aesch. ed. Dindorf. p. 391, ad v. 822.

[4]) cod. M. exhibet *ἀναφυγάς*: tum verbum *ὀλολύζω* transitivum factum est, sed recte Heimsoethius, Wiederh. p. 278 *ἀναφυγᾷ* restituit ex analogia prioris exempli.

[5]) Ludewigius, de dictionis Sophocleae ubertate, quae in verbis cum praepositionibus compositis conspicitur, diss. Berol. 1864, recte de

I. compositum suam propriam vim tenet: Dicitur enim de iis qui certo consilio oculos in aliquam rem convertunt, inprimis de dis humanas res respicientibus et moderantibus: Sept. 472: *τώς νιν Ζεὺς νεμέτωρ ἐπίδοι κοταίνων.* Cetera exempla collegit Dindorfius, lex. Aesch. s. v.

Huc accedunt Suppl. 654: *Δῖον ἐπιδόμενοι πράκτορά τε σκοπόν,* ubi notat cum reverentia respicere; neque enim sine causa ponitur medium.

frg. 190: *ἥκομεν — τοὺς σοὺς ἄθλους τούσδε ἐποψόμενοι.*

II. contra praepositio vim suam prorsus abiecisse videtur in his: Prom. 990: *τρίτον δὲ τὸν νῦν κοιρανοῦντ' ἐπόψομαι* (sc. *ἐκπίπτοντα*). Sept. 206: *μηδ' ἐπίδοιμι τάνδ' ἀστυδρομουμέναν πόλιν.*[1]) Agam. 1540: *εἴθε μ' ἐδέξω, πρὶν τόνδ' ἐπιδεῖν ἀργυροτοίχου δροίτης κατέχοντα χαμεύνην.* Agam. 1245: *Ἀγαμέμνονός σέ φημ' ἐπόψεσθαι μόρον.* Agam. 1642: *λιμὸς ξύνοικος μαλθακόν σφ' ἐπόψεται,* cf. simillima exempla s. v. *εἰσορᾶν.*

Κατά.[2])

I. Praepositio notat in compositis motum ab summo ad imum. Sed in plurimis verbis genuina vis prorsus evanuit.

καθαιρῶ[3]), *καθέζομαι, κάθημαι, καθιζάνω, καθορμίζω*[4]), *καταθάπτω*[5]), *καταιθαλῶ* (simplex Eur. El.

---

hoc verbo p. 32 dicit: *ἐπί* notio quamquam iam latet in *ὁρᾶν* simplici — nam videntis est oculos dirigere ad locum (*ἐπί*) — tamen urgeri est intellegenda, ut compositum semper de consulto et consilio oculos aliquo vertentibus usurpetur.

[1]) cf. simplex simillimo loco Suppl. 866: *μήποτε πάλιν ἴδοιμ' ἀλφεσίβοιον ὕδωρ.*

[2]) de significatione huius praepositionis in verbis compositis uberius disserit Hermannus opusc. 5, p. 44; Mengius l. l. p. 44.

[3]) hoc verbum proprie significat „desuper sumo“, ut apud Hom. Il. 24, 268: *κὰδ δ' ἀπὸ πασσαλόφι ζυγὸν ᾕρεον ἡμιόνειον,* tum significat ut simplex „occido“ (Agam. 408).

[4]) Nimirum hic est praepositionis sensus, ut navis ex alto in portum invehatur (cf. *καταπλέω, κατάγω τὴν ναῦν*). De usu simillimo simplicis cf. Weckleinium ad Prom. 997.

[5]) Agam. 1552: *κάππεσε, κάτθανε καὶ καταθάψομεν*: vides ubertatem compositorum consulto quaesitam pro simplicibus idem significantibus.

1140), *κατακαλύπτω, κατακρύπτω, κατακτείνω, κατανθρακῶ* (simplex Prom. 388), *καταπίνω, καταπίπτω, καταπτήσσω, κατασβέννυμι, κατασφάζω, κατασφραγίζω* (simplex Eum. 831), *καταφθείρω, καταφθίω, κατεναρίζω, κατόλλυμι.*

ἐγκαθίημι inicio, frg. 86: *ταῦτα γὰρ πατὴρ Ζεὺς ἐγκαθίει Λοξίᾳ θεσπίσματα.* Simplex compositum *ἐνίημι* eodem modo usurpatur, cf. Homericum *ἐνῆκε δέ οἱ μένος.*

συγκαταβαίνω convenio, consentio, Eum. 1047: *Ζεὺς ⟨ὁ⟩ πανόπτας οὕτω Μοῖρά τε συγκατέβα:* praepositio *κατά* abiecit vim suam et merae ubertatis causa addita est. Poterat enim dici *συνέβα.*

Contra Cho. 723: *νῦν γὰρ ἀκμάζει Πειθὼ δολίαν ξυγκαταβῆναι* propria quaedam notio composito tribuenda est; agitur enim de simul descendendo in certamen.

II. Praepositio nihil aliud efficit, nisi ut vis simplicis augeatur.

καθαιμάσσω (simplex Sept. 261), *καθιερῶ* (simplex Thuc. 5, 1), *καταθνήσκω, καταισχύνω, κατακρατῶ, καταλείπω, καταλήγω, καταξιῶ, καταπαύω, κατάρχω*[1]), *καταψύχω* (simplex Herod. 3, 104), *κατείργω, κατερείκομαι, κατεύχομαι*[2]), *κατέχω, κατισχναίνω* (simplex Eum. 267), *κατοικτίζω, κατοκνῶ, κατορθῶ.*

Huc accedunt

καθορῶ:

I. Compositum simplicis instar esse arbitror in his: Pers. 979: *τὰς ὠγυγίους κατιδόντες στυγνὰς Ἀθάνας.* Pers. 1028: *κατεῖδον δὲ πῆμ' ἄελπτον.* Agam. 480: *μήτ' οὖν αὐτὸς ἁλοὺς ὑπ' ἄλλων βίον κατίδοιμι.*

Iam in Hom. hymn. Apoll. 135: *χρυσῷ δ' ἄρα Δῆλος ἅπασα βεβρίθει καθορῶσα Διὸς Λητοῦς τε γενέθλην* praepositionis vis prorsus evanuit.

II. Praepositio exaggerat et intendit vim simplicis, ut

---

[1]) Pers. 354 Atossa interrogat: *τίνες κατῆρξαν,* et ab nuntio respondetur *ἦρξαν μὲν* e. q. s.

[2]) *κατεύχομαι* significare solet ‚precor‘, ut simplex, excepto loco Sept. 620: *οἵας ἀρᾶται καὶ κατεύχεται τύχας,* ubi praepositione *κατά* exprimitur preces cum detrimento reipublicae esse fusas.

evadat notio perspiciendi. Suppl. 101: πόροι κατιδεῖν ἄφραστοι, et 1069: τί δὲ μέλλω φρένα Δίαν καθορᾶν;

καταγιγνώσκω diiudico[1]), Eum. 576: ὅπως ἂν εὖ καταγνωσθῇ δίκη: Simplex simili sensu invenitur, ut Dem. 19, p. 416, 3: τὰ δίκαια γνόντα καὶ τὰ προσήκοντα. Apud Aeschylum vis verbi et praepositione κατά et adverbio εὖ intenditur. Cur Paleius διαγνωσθῇ scripserit, non video causam, nisi quod v. 712: διαγνῶναι δίκην legitur. Sane quidem καταγιγνώσκω raro admodum non differt a notione simplicis, sed simile quid habemus Antiph. 6, 3: μὴ ὀρθῶς καταγνωσθεῖσα sc. δίκη (agitur de causa non in malam partem diiudicata), cf. etiam Xen. Oec. 2, 18, Ael. var. hist. 14, 15.

κατακάρφομαι* marcesco, Agam. 80: φυλλάδος ἤδη κατακαρφομένης. Simplex verbum iam apud Homerum similiter dictum invenitur, ut Od. 13, 398: κάρψω μὲν χρόα καλὸν ἐνὶ γναμπτοῖσι μέλεσσι.[2])

καταμηνύω indico, Prom. 188: οὔποτε . . . τόδ' ἐγὼ καταμηνύσω. Compositum simplicis instar est, ut Herod. 7, 30: στήλη καταμηνύει διὰ γραμμάτων τοὺς οὔρους. Propria praepositionis vis cognoscitur tum, cum additus est genetivus, Lys. in Agor. § 49: οὐ κατεμήνυσε τῶν ἀνδρῶν.

καταξενῶ* hospitio excipio, Cho. 702: καταινέσαντα καὶ κατεξενωμένον. Propriam vim habet compositum καταινέσαντα, quoniam simplex αἰνεῖν raro admittit notionem promittendi (Soph. Phil. 1398 et Eur. Or. 1365). Ad huius verbi analogiam videtur κατεξενωμένον positum esse.[3])

καταρράπτω consuo, Eum. 26: λαγὼ δίκην Πενθεῖ καταρράψας μόρον. Hom. Od. 16, 421: τί ἢ δὲ σὺ Τηλεμάχῳ θάνατόν τε μόρον τε ῥάπτεις. Simplicitatem epici sermonis auxit et exornavit Aeschylus.

---

[1]) cf. Abreschium ad h. l.

[2]) simillimus locus exstat Anth. 11, 374: ὡς δὲ ῥόδον θαλέθεσκες ἐν εἴαρι· νῦν δ' ἐμαράνθης γήραος αὐχμηρῷ καρφομένη θέρεϊ.

[3]) Weckleinius omnino dubitat de hoc verbo et κἀπιδεξιούμενον substitui vult, cui hoc certe concedendum est καταξενοῦν de Strophii hospitio non apte dici. Sed Schuetzius et Weilius referunt recte ad Clytaemnestram: „cum Strophio promiserim et a vobis hospitio exceptus sim“ (cf. v. 664—670),

καταρρινῶ limo, Suppl. 755: *εὑρήσουσιν ἐν μεσημβρίας θάλπει βραχίον' εὖ κατερρινημένους*, ubi amplificatio verbi simplicis adiecto adverbio *εὖ* effecta erat. Simplex similiter usurpatur Ael. n. a. 6, 3: *ἡ ἄρκτος τρόπον τινὰ τὴν ἕξιν ῥινᾷ*.

καταστρέφω converto, Pers. 789: *ποῖ καταστρέφεις λόγων τελευτήν;*

*καταψεκάζω** conspergo, Agam. 566: *ἐξ οὐρανοῦ δὲ κἀπὸ γῆς λειμώνιαι δρόσοι κατεψέκαζον ἔμπεδον σίνος ἐσθημάτων*. Schneidewinus adnotat: „*κατεψέκαζον* geht bloss auf den Hauptbegriff *ἐξ οὐρανοῦ* zurück, woraus ein entsprechendes Verbum zu *ἀπὸ γῆς λειμ.* zu denken nahe liegt". Igitur praepositionis *κατά* propriam notionem localem composito verbo inesse censet, sed illud zeugma vix posse defendi cum Keckio puto: is enim simplicius et rectius simplex *ψεκάζειν*, quod intransitive dicitur, cf. Aristoph. nub. 580 e. s., compositione evasisse transitivum[1]) dicit, ut Plut. Alex. 35: *τὸν ἄγοντα πρὸς τὴν κατάλυσιν τοῦ βασιλέως στενωπὸν ἐλαφρῶς τῷ φαρμάκῳ κατεψέκαζον*. Hoc autem Aeschyli loco *ἔμπεδον σίνος ἐσθημάτων* (ita Weilius) pro obiecto habendum est. Similia sunt haec: Soph. Ant. 793: *νεῖκος . . . ταράξας* („Streit durch Verwirrung hervorrufen"), *πόλεμον ταράσσειν* (Plat. de republ. 8 p. 567 A), *εἰρήνην πρεσβεύειν* (Isocr. 4, 177 c), etiam apud Homerum *λώβην ὑβρίζειν* (Od. 20, 169).

*καταυχῶ** superbio[2]), Pers. 355: *πλήθει καταυχήσας νεῶν*, cf. Eur. Iph. Aul. 412: *σκήπτρῳ νῦν αὔχει*.

κάτοιδα perspicio.

Omnibus locis Aeschyleis consulto compositum pro simplici positum esse videtur:

Agam. 4: *ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν*. Pers. 746: *παῖς δ' ἐμὸς τάδ'* (cf. v. 741 et 744) *οὐ κατειδὼς ἤνυσεν νέῳ θράσει*, ubi Schuetzius verbi vim recte perspexit, cum vertit „haec non satis apud animum reputans".

---

[1]) cf. Kühnerum § 409, 8.

[2]) Todtius l. l. p. 49 vertit „quasi de superiore loco gloriari". Ego quidem putem compositum praepositione aliquid augeri et intendi. Utcumque autem iudicamus, praepositio per se non necessaria videtur esse, cum simplex notioni superbiendi prorsus satisfaciat.

Multo maior apud Sophoclem est numerus exemplorum, in quibus vis praepositionis prorsus exstincta est. Luculentum praebet exemplum Trach. 86: *εἰ δὲ θεσφάτων ἐγὼ βάξιν κατῄδη τῶνδε, κἂν πάλαι παρῆ*, ubi recte Kriebitzschius adnotat: „valde ineptires, si h. l. propriam quandam vim praeverbio tribueres: Hyllus enim illius oraculi usque ad id tempus prorsus ignarus fuit".

κατοικίζω condo, Prom. 751: *αἳ Θεμίσκυράν ποτε κατοικιοῦσιν*, cf. Herod. 6, 33: *πόλιν Μεσαμβρίην οἴκισαν* et saepissime. — Facio ut habitet, colloco, et id metaphorice: Prom. 266: *τυφλὰς ἐν αὐτοῖς ἐλπίδας κατῴκισα*, cf. Eur. Hec. 1022: *οὗπερ τὸν ἐμὸν ᾤκισας γόνον*.

Contra tantum composito propria est notio restituendi, ut Eum. 759: *ὦ Παλλὰς . . . γαίας πατρῴας ἐστερημένον . . . κατῴκισάς με*.

Μετά.[1])

I. Praepositio *μετά* in verbis eundi et movendi habet notionem localem:

μεθίημι[2]) mitto: compositum non ita multum differt a simplici, nisi quod clarius indicatur, rem aliquam antea retentam dimitti.

Eum. 786 et 816: *μεθεῖσα καρδίας σταλαγμόν*. Similiter de liquore effuso simplex ponitur, ut Hom. Il. 21, 158: *Ἀξιοῦ, ὃς κάλλιστον ὕδωρ ἐπὶ γαῖαν ἵησιν* et apud Aeschylum Cho. 152: *ἵετε δάκρυ* e. s.

Cho. 819: *ὀξύκρεκτον* (sic Weilius) *γοατὰν νόμον μεθήσομεν πόλει*[3]): De voce emittenda saepissime simplex invenitur, ut apud Homerum Il. 3, 221: *ὄπα τε μεγάλην . . . ἐκ στήθεος ἵει καὶ ἔπεα*, apud ipsum Aeschylum simillime Pers. 639: *ἱέντος τὰ παναίολ' αἰανῆ δύσθροα βάγματα* e. s.

---

[1]) cf. Funckium, „de praepositionis *μετά* in vocabulis compositis usu exemplis maxime Euripideis probato", in Curtii studiis IX, p. 113—163.

[2]) cf. Funckium l. l. p. 153.

[3]) totus locus inde a v. 815 non ab omni parte certus est, cf. Hermannum, Weckleinium, Weilium. De verbo *μεθιέναι* non est cur dubitetur.

Ceterum composito utitur etiam Soph. Oed. R. 783: τῷ μεθέντι τὸν λόγον et Eur. frg. 1031 (Nauckius).

Apud Aeschylum composito haec videtur vis inesse, ut chorus dicat vinclo curarum solutum cantum lugubrem emissurum se esse.[1])

Duobus locis μεθίημι in dubium vocatur ab editoribus.

Cho. 657: ὥρα δ' ἐμπόροις μεθιέναι ἄγκυραν, ubi praeter Hermannum et Kirchhoffium omnes editores auctore Dindorfio[2]) καθιέναι dederunt.

Sed etiamsi ἄγκυραν καθιέναι[3]) usitatius esse non nego, tamen μεθίημι ipsum praebet bonum sensum: ancora catenis retenta dimittitur in mare, cf. Hom. Od. 5, 460: τὸ μὲν (sc. κρήδεμνον quod Ulixes usque ad id tempus tenebat) ἐς ποταμὸν ἁλιμυρήεντα μεθῆκε.

Neque aliter rem se habere puto in loco Sept. 79: μεθεῖται στρατὸς στρατόπεδον λιπών, ubi Dindorfius solus scribit καθεῖται: nimirum cum vi dictum est, ut μεθεῖται βέλος.[4])

μεταδίομαι* persequor, Suppl. 826: μετά[5]) με δρόμοισι διόμενοι: simplex simillima notione legitur Eum. 358: διόμεναι κρατερὸν ὄντα.

II. notio praepositionis temporalis est:

μετακοιμίζω*, Cho. 1074: ποῖ καταλήξει μετακοιμισθὲν μένος ἄτης; Non satis certa est verbi significatio. Weckleinius[6]) vertit „wieder, abwechselnd beschwichtigt“, quod certis exemplis comprobari nequit. Weilius „rebus conversis sopitum, μεταπεσούσης τῆς τύχης κοιμισθέν“, Dindorfius „interquiesco“, Hermannus „alio in loco, alia in persona quiescere“.

---

[1]) Weckleinius similiter dictionem ex comparatione teli ab arcu missi interpretatur.

[2]) lex. Aesch. s. v. καθίημι.

[3]) schol. ... τὴν ἄγκυραν προσορμίσαι. Quamobrem Weilius (in priore ed.) ita scribere apud ipsum Aeschylum volebat, sed certe non recte, quoniam scholiasta ad interpretandum sermone cotidiano utitur.

[4]) Weilius recte de hoc loco iudicat. Scholiastae autem interpretatio ἀφεῖται substituit dictionem usitatam.

[5]) haec tmesis Piersonium, in mus. Rhen. 11, p. 105—119 fugit, et tamen certa est, quod δίομαι semper verbum transitivum est.

[6]) Funckius l. l. p. 133, adn. 8 aliter iudicat de exemplis a Weckleinio allatis.

Ego cum Todtio[1]) facio, qui interpretatur „postea quiescere", quam quidem notionem ex tota sententia sequi per se patet.[2])

*μετατίκτω**, postea pario, Agam. 756: *τὸ δυσσεβὲς γὰρ ἔργον μετὰ μὲν πλείονα τίκτει.*

*μεταλγῶ**.

Suppl. 410: *τί τῶνδ' ἐξ ἴσου ῥεπομένων μεταλγεῖς τὸ δίκαιον ἔρξαι;* Hermannus[3]) interpretatur „post aliquid dolere, id hic idem fere est quod poenitere". Sed rex cunctatur, nondum fecit aliquid, cuius paeniteret, itaque rectius Weilius: „in posterum dolere, futuris angi". Et quoniam compositum prope ad notionem *ὀκνεῖν* accessit, additus est infinitivus, cum simplex verbum *ἀλγεῖν* potius cum participio coniungatur.

III. praepositio *μετά* notat actionis mutationem.

μεθαρμόζω aliter adapto, Prom. 325: *καὶ μεθάρμοσαι τρόπους νέους.* Ubertas orationis efficitur verbo composito cum adiectivo *νέους* coniuncto, sive cum Weckleinio *νέους* prolepsin interpretamur, sive compositum pro verbo simplici positum esse dicimus.[4])

μεταχωρῶ in alium locum migro, Prom. 1093: *μετά ποι χωρεῖτ' ἐκ τῶνδε θοῶς.*

IV. *μετά* significat in compositis aliquem alicuius rei participem esse.

μετέχω particeps sum. Duobus locis significatio verbi corroboratur vocabulo addito *μέρος*. Agam. 512: *θανὼν μεθέξειν φιλτάτου τάφου μέρος,* et Cho. 290: *τοῖς τοιούτοις οὔτε κρατῆρος μέρος εἶναι μετασχεῖν.* — Ceterum apud Isocratem (p. 216d) et Lysiam (in Philon. § 5) eadem ubertas invenitur.

Παρά.[5])

I. *παρά* significat in compositis locum vel hominem, quo motus dirigitur:

---

[1]) l. l. p. 49.

[2]) Franzius id compositum reicit et mavult *κατακοιμισθέν*, Valckenarius coniecit *μέγα κοιμισθέν.*

[3]) Funckius l. l. p. 155 assentitur.

[4]) similis pleonasmus occurrit in Eur. Iph. A. 343.

[5]) cf. Rauium, de praepositionis *παρά* usu, in Curtii studiis III, p. 1—98.

Praepositio supervacanea videtur esse in verbo *παραγγέλλω*. Nam haec vis in ipsa notione nuntiandi inest.

II. praepositione aliquid removendum esse ab aliqua re indicatur:

*παραθέλγω** demulceo, Agam. 71: *ὀργὰς ἀτενεῖς παραθέλγεις*. Simplex idem notare manifestum est.

παραιτοῦμαι[1]) deprecor, Suppl. 530: *λιταῖς παραιτοῦ τῶν σ' ἔρως ἔχει τυχεῖν*, et Cho. 779: *νῦν παραιτουμένᾳ μοι δὸς τύχας*, cf. schol. *πλεονάζει ἡ παρά ἢ* (sic Dindorfius) *παρά σου αἰτουμένῃ*. Ceterum hic usus compositi nequaquam inusitatus est, sed apud omnes scriptores invenitur.

III. praepositio *παρά* idem valet atque in verbis Latinis compositis praepositio praeter.

παροίχομαι praetereo, pereo, Agam. 572: *παροίχεται πόνος, παροίχεται δὲ τοῖσι μὲν τεθνηκόσιν τὸ .... μέλειν*.

Suppl. 744: *περίφοβόν μ' ἔχει τάρβος ἐτητύμως πολυδρόμου φυγᾶς ὄφελος εἴ τί μοι. παροίχομαι, πάτερ, δείματι*. Schol. adnotat: *ὅσον μοι προγέγονεν ὄφελος διὰ τῆς ἐνθάδε φυγῆς τῷ δείματι νῦν παροίχεται*. Igitur ponit post *εἴ τί μοι* comma et interpretatur *νῦν παροίχεται* „nunc me fugit, praeterit", itaque *παροίχεται* videtur legisse et cum *ὄφελος εἴ τί μοι* coniunxisse, quod probavit Turnebus.[2]) Sed multo aptius est, ut lectione codicis servata *παροίχομαι* sensu pereundi intellegamus, ita ut non multum differat a simplici, cf. Suppl. 794: *οἴχομαι φόβῳ*.

IV. Saepe addita praepositione efficitur, ut vis verbi in contrariam notionem convertatur vel ut in malam partem accipiatur.

παραμελῶ neglego, Sept. 689: *θεοῖς μὲν ἤδη πως παρημελήμεθα* et Eum. 300: *οὔτοι σ' Ἀπόλλων .... ῥύσαιτ' ἂν ὥστε μὴ οὐ παρημελημένον ἔρρειν*.

παραπατῶ defraudo, Eum. 731: *οἴνῳ παρηπάτησας ἀρχαίας θεάς*.

---

[1]) cf. Rauium, l. l. p. 92.

[2]) Weilius (in priore ed.) *παροίχομαι* interpretatur „aberro". Sed haec notio minime quadrat ad sententiam.

Περί.

Cum verba, in quibus praepositio abundanter posita sit, apud Aeschylum non inveniantur, ubertatem, quae in adiectivis conspicitur, paucis commemorare mihi liceat.

περίβαρυς[1]) praegravis, Eum. 161: *βαρὺ τὸ περίβαρυ κρύος*.

περιοργῶς vehementer, Agam. 226: *ὀργᾷ περιοργῶς*[2]) *ἐπιθυμεῖν θέμις*.

περισσόφρων valde prudens, Prom. 328: *ἦ οὐκ οἶσθ' ἀκριβῶς ὢν περισσόφρων*; Weckleinius bene affert similes pleonasmos: Pers. 796: *ὑπερπόλλους ἄγαν*[3]), Il. 7, 39: *οἰόθεν οἶος* et v. 97: *αἰνόθεν αἰνῶς*.

Πρό.

I. praepositio *πρό* notat in compositis actionem ad anteriorem partem pertinentem.

προβαίνω procedo, Prom. 263: *μή πού τι προὔβης τῶνδε καὶ περαιτέρω*, ubi vel *περαιτέρω* notio ulterius progrediendi exprimitur. Simplicius Dem. 23, 203: *τὸ πρᾶγμα ἤδη καὶ πορρωτέρω βαδίζει*.

προδείκνυμι praemonstro, Prom. 805: *πρόδειξον αἵρεσίν τ' ἐμοὶ δίδου*. Prom. 633 et 655 in simili orationis contextu simplex usitatur.

πρόκειμαι prostratus iaceo, Sept. 949: *πρόκεισαι*. De mortuis proiectis simplex quoque saepe usitatur, ut Sept. 795: *ἐκεῖθι κεῖσθον*.

Etiam de poena proposita compositum et simplex sine ullo notionis discrimine adhibentur: Pers. 374: *πᾶσι στέρεσθαι κρατὸς ἦν προκείμενον*, cf. Lys. 14, 9: *ἐβουλήθη .... πάσαις ταῖς κειμέναις ζημίαις ἔνοχος γενέσθαι*.

Contra de termino proposito (Prom. 273: *οὐδ' ἔστιν ἆθλον τέρμα σοι προκείμενον* et Prom. 781) tantum compositum in-

---

[1]) de forma cf. Lobeckium ad Phryn. p. 538.

[2]) codicis M. scripturam recte servaverunt Engerus, Kirchhoffius, Weilius, Wilamowitzius: alii alia coniecerunt.

[3]) similiter Pers. 829: *ὑπερκόμπων ἄγαν φρονημάτων*, Eum. 827: *ὑπερθύμως ἄγαν*, Agam. 436: *ὑπερβατώτερα*.

venitur, certe quod magis respicitur intervallum, quod exstat inter finem et eum, qui eo pervenire cupit.

προλείπω.

προτίθεμαι, Prom. 255: *θνητοὺς δ' ἐν οἴκτῳ προθέμενος*: Simplex in simillimis dictionibus poni assolet, ut Pind. Ol. 11, 63: *ἀγώνιον ἐν δόξᾳ θέμενος εὖχος*, Herod. 3, 3: *τὴν δὲ .... ἐν τιμῇ τίθεται*, Eur. Hec. 789: *ταῦτ' οὖν ἐν αἰσχρῷ θέμενος*. Quamobrem Nauckius[1]) compositum reicit et scribit:

θνητοὺς δ' ἐν οἴκτῳ θέμενος εἶτ' οἴκτου τυχεῖν.

Weckleinius autem notionem temporalem praepositioni subesse putat, ut significet: *πρότερον τίθεσθαι*. Sed primum verbum hoc sensu nusquam usurpatur, deinde ipsa interpretatio non ita apta est ad sententiam[2]) verborum. Itaque facio cum Mengio[3]), qui *προτίθεσθαι* e. q. s. locutionem graviorem esse pro *θέσθαι ἐν οἴκτῳ* censet, qua oratio plenior sonet („vor sich hinstellen“). Ceterum cf. Soph. El. 1334: *νῦν δ' εὐλάβειαν τῶνδε προὐθέμην ἐγώ*, ubi compositum eodem modo pro simplici usurpatum est: Soph. Tr. 1265: *μεγάλην μὲν ἐμοὶ τούτων θέμενοι συγγνωμοσύνην*, Aesch. Pers. 145: *φροντίδα κεδνὴν καὶ βαθύβουλον θώμεθα* e. s.

προφεύγω profugio, frg. 69: *μελανίππου προφυγὼν ἱερᾶς νυκτὸς ἄμολγον.*

II. notio praepositionis est temporalis:

προθεσπίζω praedico, Prom. 227: *τὸ μέλλον ᾗ κραίνοιτο προὐτεθέσπικει.*

προταρβῶ ante timeo, Sept. 319: *βαρείας τοι τύχας προταρβῶ.* Cum res timenda in futuro semper sit, praepositio *πρό* tum propriam quandam vim habet, si maius est intervallum temporis. Similiter apud Euripidem compositum simplicis instar usitatur Herc. fur. 546, 968, frg. 360, 25. Apud Sophoclem Ant. 83: *μὴ ἐμοῦ προτάρβει* et Tr. 89 praepositio *πρό* ad notionem

---

[1]) Bulletin de l'Académie de St. Petersbourg, 1860, p. 209.

[2]) Blomfieldius, Bothius vertunt praeferre, Passowius „sich etwas zur Aufgabe machen“, contra quem Nauckius recte dicit exspectari accusativum *οἶκτον*.

[3]) l. l. p. 37.

praepositionis ὑπέρ accessit, unde factum est ut verbum cum genetivo coniunctum legatur.

προφθάνω praevenio, Agam. 1213: *προφθάσασα καρδία γλῶσσαν ἂν τάδ' ἐξέχει.* Praepositio per se supervacanea est, sed notionem festinandi corroborat.

προφοβοῦμαι ante timeo, Suppl. 1055: *πολέμους θ' αἱματόεντας προφοβοῦμαι,* cf. *προταρβῶ.*

III. *πρὸ* accedit ad notionem *ὑπέρ,* „in utilitatem, commodum alicuius."

προκήδομαι curo, Prom. 656: *μή που προκήδου μᾶσσον ὡς ἐμοὶ γλυκύ.*

IV. praepositione designatur rem aliquam dignitate priorem esse quam aliam.

προτιμῶ honoro, Agam. 1415: *ὅς* (sc. *Ἀγαμέμνων*) *οὐ προτιμῶν ἔθυσεν παῖδα,* ubi praepositionis vis certe paene nulla est. Idem usus invenitur Agam. 1672: *μὴ προτιμήσῃς ματαίων τῶνδ' ὑλαγμάτων.* Sed addito genetivo vis praepositionis cognoscitur. Contra reliquis exemplis Eum. 643: *πατρὸς προτιμᾷ Ζεὺς μόρον* et v. 742: *οὕτω γυναικὸς οὐ προτιμήσω μόρον* verbum notat „magis honorare, praeferre": morti Agamemnonis plus tribuitur quam Clytaemnestrae.

Similiter *προτίω* Agam. 780: *πολλοὶ δὲ βροτῶν τὸ δοκεῖν εἶναι προτίουσιν* notat „pluris facio, praefero". Nam chorus se contrarium facere, se veritatem praeferre profitetur. Contra propria vis praepositioni tribuenda non est Eum. 549: *πρὸς τάδε τις τοκέων σέβας εὖ προτίων.*

In verbis cum praepositionibus *πρός, σύν, ὑπό, ὑπέρ* compositis, in quibus similis dicendi ubertas apparet, haec nunc non persequar, quamquam harum quoque praepositionum exempla collegi.

Praeterea etiam de nominibus et de particulis quibusdam, quae praepositionem abundanter additam habent, similis quaestio institui potest. Sed haec omnia nunc omittam et in aliud tempus differam.

VITA.

Natus sum Ernestus Lesser die XIII. mens. Octobr. a. MDCCCLXIX Halis Saxonum, patre Henrico, quem iam ante quattuordecim annos mihi ereptum esse maxime doleo, matre Anna e gente Güssow. Fidem profiteor evangelicam. Per octo annos et sex menses orphanotrophei Franckiani gymnasium frequentavi. Maturitatis testimonio instructus vere a. MDCCCLXXXIX in hac academia Fridericiana Halensi philologiae studiis me dedidi. Scholas audivi vv. dd. Beyschlag, Burdach, Dittenberger, Erdmann, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Loofs, Robert, Sievers, Förster. Benignitate vv. dd. Burdach, Dittenberger, Hiller, Keil, Sievers, Kauffmann, Bremer mihi contigit, ut particeps fierem exercitationum proseminarii et seminarii philologici. Societatis vero philologicae, ut essem sodalis per quater sex menses, benigne mihi permisit Keilius. Omnibus autem quos commemoravi viris doctissimis optime de me meritis gratias et nunc ago et semper habebo maximas, praecipue vero Keilio, viro illustrissimo et magistro mihi veneratissimo, quem studiis meis fautorem fuisse et adiutorem benevolentissimum per totam vitam pio gratoque animo profitebor.

THESES.

I.

Aristoph. Pac. 47 ff.:

δοκέω μὲν ἐς Κλέωνα τοῦτ' αἰνίσσεται,
ὡς κεῖνος ἀναιδέως τὴν σπατίλην ἐσθίει

non est vestigium duplicis fabulae: Corrigendum propono

δοκέω μὲν ἐς Κλέωνα τοῦτ' αἰνίσσεται,
ὡς κεῖνος ἡδέως σπατίλην ἔσθιεν.

II.

Aristoph. Pac. 730:

ἀλλ' ἴθι χαίρων, ἡμεῖς δὲ τέως τάδε τὰ σκεύη παραδόντες
τοῖς ἀκολούθοις δῶμεν σώζειν, ὡς εἰώθασι μάλιστα
περὶ τὰς σκηνὰς πλεῖστοι κλέπται κυπτάζειν καὶ κακοποιεῖν

non esse corrigendum puto.

III.

In substantivo ἔποικος (Aesch. Prom. 427) praepositio ἐπί vim suam abiecit.

IV.

Eilhardus de Oberge prior est Henrico de Veldeke.